

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

**SCHEMA CANONUM LIBRI II
DE POPULO DEI**

(Reservatum)



TYPIS POLYLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

**SCHEMA CANONUM LIBRI II
DE POPULO DEI**



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

*Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas
usque ad finem mensis octobris 1978 datur*

PRAENOTANDA

Liber II huius schematis, qui locum tenet Libri II anterioris Codicis Iuris Canonici, Codicis scilicet a. 1917, nunc inscribitur « De populo Dei ». Qui titulus magis congruit cum doctrina Concilii Vaticani II. Liber hic II de personis quidem praebet praescripta canonica, de personis scilicet quae efformant Dei populum, atque hunc Dei populum respiciunt etiam quatenus, ex voluntate Christi, est organice exstructus, i.e. « in hoc mundo ut societas constituta et ordinata » (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 8) a Christo Domino instituta. Quare dicta praescripta agunt de personis in genere et de personis in specie itemque de Ecclesiae constitutione hierarchica.

Duas continet Partes, quarum *Prima Pars* praescripta tradit de personis in genere et de personis iuridicis, dum *Pars Secunda* normas continet quae personas respiciunt in specie.

PARS PRIMA

DE PERSONIS IN GENERE

Haec prima pars duos complectitur titulos, quorum primus praescripta continet quae christifideles omnes in genere respiciunt seu personas físicas in Ecclesia, atque secundus normas tradit de personis iuridicis in Ecclesia.

TITULUS I

DE CHRISTIFIDELIBUS

Refertur imprimis canon fundamentalis, ex schemate Legis Ecclesiae Fundamentalibus desumptus, in quo affirmatur baptismo hominem in Ecclesia Christi incorporari et constitui personam, i.e. subiectum obligationum canonicarum et iurium canonicorum.

Hic Titulus I tribus constat Capitibus. *Caput primum* agit de personarum physicarum statu canonico; *Caput secundum* enumerat omnium christifidelium obligationes praecipuas et iura fundamentalia; *Caput tertium* denique tractat de christifidelium consociationibus.

CAPUT I

DE PERSONARUM PHYSICARUM STATU CANONICO

Capacitas personarum physicarum determinatur, ratione habita earum aetatis, status mentis, sexus, originis, domicilii et quasi-domicilii, ratione etiam consanguinitatis et affinitatis necnon ratione ritus ad quem pertinent.

Ad capacitatem *ratione aetatis* quod attinet, retinetur distinctio inter infantes et non-infantes, sicut et distinctio inter minores et maiores, sed non amplius retinetur distinctio inter puberes et impuberes. Non erat momenti practici, et expressis verbis dici potest ad quaedam iura exercenda aut obligationes habendas requiri v.g. aetatem quattuordecim annorum.

Ad statum personarum *ratione habitationis* quod spectat, retinentur *domicilium*, seu habitatio omnino stabilis et *quasi-domicilium*, quod quidem pro cura animarum momentum habet non parvum. Tempus autem ad quasi-domicilium requisitum reducit ad tres menses. Domicilium legale mariti pro uxore non servatur, sed statuitur praesumptio legalis eandem habere domicilium et quasi-domicilium voluntarium viri sui. Servatur autem domicilium legale minoris, nisi hic sit ad normam iuris civilis emancipatus.

Ad *consanguinitatem* et *affinitatem* quod attinet, computationi germanicae et in priore Codice admissae substituitur computatio romana, quia haec in plerisque societatibus civilibus viget (cfr. *Communicationes*, 6, 1974, pp. 94-98).

CAPUT II

DE OMNIUM CHRISTIFIDELIUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

Sub hoc Capite traduntur obligationes et iura, quae omnibus christifidelibus qua talibus sunt propria, sive sint clerici, sive sint laici, nulla facta inter eos distinctione ratione stirpis, nationis, condicionis socialis vel sexus. Non paucae harum obligationum fundamentalium et iurium iam in schemate Legis Ecclesiae Fundamentalisi affirmantur. Probata autem Lege Ecclesiae Fundamentalisi, hic supprimi possunt quae Lege Fundamentalisi enuntiantur.

CAPUT III

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

De iure consociationis in Ecclesia agitur in his canonibus. Imprimis habentur aliqui canones generales. Determinantur imprimis fines ad quos tales consociationes sive clericorum, sive laicorum, sive clericorum insimul et laicorum constitui possunt in Ecclesia. Quae consociationes diversae sunt ab Institutis vitae consecratae, de quibus in Sectione III. Divisio vero consociationum ratione earum finis, quae

in CIC a. 1917 continetur, non amplius servatur, ita ut legislatio proposita indolem generalem habeat. Amplior haec legislatio, continens iuridica lineamenta fundamentalia, visa est necessaria, quia magis magisque in dies crescit consociationum numerus, immo et varietas. Distinctio vero admittitur innixa erectione consociationum earumque cum hierarchica auctoritate relatione. Distinguuntur itaque consociationes *publicae* atque consociationes *privatae*.

Iam sub iure Codicis distinguebantur consociationes ab Ecclesiae auctoritate erectae aut approbatae et consociationes a privatis personis ipsis, pactione inter se inita, constitutae, quae quidem laicales vocabantur. In hoc schemate autem distinguuntur consociationes publicae et consociationes privatae. Privatae consociationes eae sunt quas, vi naturalis iuris consociationis, christifideles, privata conventionem inter se inita, constituunt ad pietatem excolendam vel ad opera apostolatus exsequenda vel ad alios fines religiosos prosequendos, quorum persecutio natura sua non reservatur auctoritati ecclesiasticae. Publicae consociationes sunt quae ad fines religiosos ab auctoritate ecclesiastica competenti eriguntur.

Normae deinde traduntur: 1° communes de omnibus christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis; 2° speciales de christifidelium consociationibus publicis; 3° speciales de christifidelium consociationibus privatis.

Inter normas de consociationibus communes, duae normae respiciunt sodales Institutorum vitae consecratae. Prior earum, in can. 51 tradita, ad consociationes pertinet vi privilegii apostolici erectas, quibus dicti sodales praesunt, uti sunt Tertii Ordines. Altera respicit consociationes alias, quibus quidem nomen dare possunt dicti sodales, nisi, iudicio Moderatoris competentis, earum statuta et actiones cum observantia regulae et constitutionum aut cum adimplemento muneris ipsis a Moderatore concrediti, conciliari nequeunt (cfr. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 96-98).

TITULUS II DE PERSONIS IURIDICIS

Sunt in Ecclesia etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet obligationum et iurium canonicorum quae earum indoli congruunt, subiecta vero quae non sunt personae physicae. In priore Codice, a. 1917, vocabantur personae morales. Rectius autem vocantur personae iuridicae, quia revera ipso ordine iuridico positivo Ecclesiae uti subiecta obligationum et iurium canonicorum constituuntur.

Notetur in proposito schemate mentionem non fieri de personalitate morali qua, secundum CIC a. 1917, can. 100, § 1, ex ipsa ordinatione divina gaudent Catholica Ecclesia atque Apostolica Sedes. Ecclesiae Catholicae personalitas non est ordinis iuridici, excepta quidem eius personalitate iuris gentium, sed est moralis, et ideo in Codice iuris affirmari non debet, sed supponitur; in iure civitatum similiter non affirmatur, sed supponitur personalitas moralis ipsius Societatis civilis.

Haec Ecclesiae, sicuti et Societatis civilis, personalitas proprie iuridica non est, cum sibimetipsis concedere non valeant qualitatem quam ipsa haec concessio supponit. Ad personalitatem Apostolicae Sedis quod attinet, commentatores CIC minime conveniunt in definiendo huius personalitatis substrato seu subiecto proprio nec in determinanda eiusdem indole collegiali aut non-collegiali, ita ut, consentientibus omnibus coetus consultoribus, melius sit ut omittatur mentio huius personalitatis moralis in iure recognito, in quo de personalitate iuridica tantum normae tradendae sunt.

De *constitutione* personarum iuridicarum imprimis hisce in normis agitur. Personae iuridicae constitui possunt sive communitates personarum, sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui finem singulorum transcendit, ordinati. Tales vero communitates vel rerum complexus uti personae iuridicae constituuntur *aut* ipso iuris praescripto *aut* speciali competentis auctoritatis concessione per decretum facta.

De *distinctione personarum iuridicarum* mutatur disciplina Codicis Iuris Canonici a. 1917. Qui Codex tantummodo distinguit inter personas morales collegiales et non collegiales. Verumtamen haec distinctio non sufficiens visa est et multis difficultatibus ansam prae-buit, et sententiae omnino inter se oppositae propositae sunt de indole aliquarum personarum iuridicarum, uti v.g. dioecesis, paroeciae. Insufficiencia distinctionis inter personas iuridicas collegiales et non collegiales exinde apparuit. Praeterea alia est distinctio introducenda, et eam iam faciebant multi scriptores, distinctio scilicet inter personas iuridicas publicas et privatas. Itaque distinguuntur in schemate: 1) *universitates personarum* et *universitates rerum*; et iterum distinguuntur universitates personarum in personas iuridicas *collegiales* et *non collegiales*, prouti vel non sunt coetus personarum, quorum actionem determinant membra in decisionibus ferendis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad normam statutorum et iuris; ita universitas personarum collegialis est Collegium Episcoporum, Capitulum cathedrale; universitas personarum non collegialis est dioecesis, paroecia; 2) personae iuridicae *publicae* aut *privatae*, prout ab auctoritate ecclesiastica constituuntur ut intra certos fines nomine Ecclesiae agant aut non.

Agitur deinde de iis qui personam iuridicam repraesentant. Item agitur de actibus collegialibus, et quidem modo magis distincto quam in Codice Iuris Canonici.

Extinctio etiam personarum iuridicarum modo magis definito determinatur.

Tandem canones habentur de *coniunctione universitatum* quae personae iuridicae sunt publicae, atque de divisione universitatis, quae persona est iuridica publica (cfr. *Communicationes*, 6, 1974, pp. 98-101).

PARS SECUNDA
DE PERSONIS IN SPECIE

Quattuor habentur in hac altera parte Sectiones. *Sectio I* canones continet praescripta referentes de ministris sacris seu clericis. *Sectio II* canones complectitur praescripta praebentes de Ecclesiae constitutione hierarchica. *Sectio III* quae agit de personis in Institutis vitae consecratae uti titulum habet: De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum. *Sectio IV* tandem canones praebet disciplinam continentes de christifidelibus laicis.

SECTIO I
DE MINISTRIS SACRIS SEU DE CLERICIS

Haec Sectio quattuor complectitur capita, quae agunt de clericorum institutione (Caput I), de clericorum incardinatione seu adscriptione (Caput II), de clericorum obligationibus et iuribus (Caput III) et de amissione status clericalis (Caput IV).

CAPUT I
DE CLERICORUM INSTITUTIONE

In Codice Iuris Canonici de institutione clericorum normae tradebantur in Libro III, Parte IV, Titulo XXI *De Seminariis*, sub Titulo generali *De magisterio ecclesiastico*. Cum vero institutio clericorum non tantummodo institutionem doctrinae requirat, sed et spiritualem necnon pastorem implicet efformationem, rectius visum est ut de institutione clericorum traderentur canones sub titulo generali: *De ministris sacris seu de clericis*. Itaque haec Sectio in priore Capite de hac institutione canones praebet.

Imprimis officium et ius proprium Ecclesiae exclusivum affirmatur eos instituendi qui ad ministeria sacra se praeparant. Item determinatur quanam auctoritates competentes sint qui normas de hac institutione edant, atque definitur quibusnam incumbit officium fovendarum vocationum.

De *Seminariis minoribus* aliisque institutis id genus regulae statuuntur quaedam. Seminaria minora aliave instituta id genus, prout id sinant locorum adiuncta, servantur ubi existunt atque foveantur.

De *Seminariis maioribus* deinde traduntur normae, quae nempe eorum necessitatem respiciunt atque munera determinant Rectoris, spiritus directoris necnon

duplicis coetus deputatorum. Praeterea qualitates definiuntur quibus iuvenes gaudere debent ut ad Seminarium maius admittantur necnon documenta quae exhibere debent.

De *ipsa institutione* in Seminario tradenda plerique agunt canones, qui nituntur praesertim Decretis Concilii Vaticani II, prae aliis Decreto *Optatam totius*, necnon *Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis* a S. Congregatione pro Institutione Catholica edita. Ante omnia statuitur in singulis regionibus ecclesiasticis, sicut et in singulis provinciis ecclesiasticis quae ad regionem ecclesiasticam non pertinent, ab Episcoporum Conferentia conficiendam esse *Rationem institutionis sacerdotalis*, atque in singulis Seminariis insuper habendam esse *Ordinationem propriam* (*Règlement, Regolamento*) ab Episcopo dioecesano aut, si de Seminario interdioecesano agitur, ab Episcopis quorum interest probatam. Canones qui ipsam institutionem respiciunt, innixi quidem praescriptis praedictae Rationis fundamentalis institutionis sacerdotalis, normas praebent *de institutione spirituali, de institutione doctrinali* atque *de institutione pastoralis*. Tandem traduntur normae quae ad regimen et administrationem Seminarii, ad disciplinam in eodem servandam necnon ad constitutionem et conservationem Seminarii atque ad alumnorum professorumque sustentationem pertinent.

CAPUT II

DE CLERICORUM ADSRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

De diversis quaestionibus quae ad adscriptionem seu incardinationem attinent normae in hoc capite traduntur, quae vero hodiernis necessitatibus aptantur (cfr. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10) quarumque pleraeque nituntur praescriptis M. P. *Ecclesiae Sanctae*, d. 6 augusti 1966, Parte I, nn. 3 et 4.

1. *Necessitas adscriptionis seu incardinationis*. Servatur principium, vi cuius requiritur adscriptio clericorum certae Ecclesiae particulari aut alicui Instituto vitae consecratae, sed additur eos etiam adscribi posse Societati clericorum — ex.gr. Societati missionali — hac facultate ab Apostolica Sede donatae. Clerici acephali seu vagi non admittuntur.

2. *Radix incardinationis seu adscriptionis*. Radix est *diaconatus*. Per *receptum diaconatum*: 1) aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio ordinatus est; 2) sodalis autem Instituti religiosi, qui in eo definitivis votis cooptatus est, in eo adscribitur *tanquam clericus*; 3) sodalis Instituti vitae apostolicae consociatae aut Instituti saecularis, necnon sodalis Societatis clericorum ab Apostolica Sede facultate incardinandi donatae, si definitivo ligamine in eodem cooptatus est, adscribitur *tanquam clericus* sive ipsi Instituto vel Societati sive Ecclesiae particulari, ad normam statutorum.

3. *Mutatio formalis incardinationis*. De ea servantur praescripta Codicis a. 1917, sed facilius redditur mutatio adscriptionis.

4. *Mutatio incardinationis ipso facto*. De eadem recipitur norma quae habetur in M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, § 5.

5. *Emigratio in aliam Ecclesiam sine incardinatione*. Quae in eodem M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, §§ 1 ad 4 habentur praescripta, mutato quidem ordine, hic recipiuntur.

6. Tandem praescripta habentur de causis *ad licitam excardinationem* requisitis, de causis *ad licitam incardinationem* requisitis atque de auctoritate competenti ad concedendam excardinationem, incardinationem necnon licentiam transmigrandi ad aliam Ecclesiam particularem (cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 189-191).

CAPUT III

DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

Imprimis notandum est de consensu omnium consultorum de clericorum privilegiis non esse agendum et haec privilegia esse abolenda. Attamen, cum servitium militare, immo et certa munera publica iure civitatis ordinata, minus statui clericali congruant, affirmatur — ubi de clericorum obligationibus agitur — eorundem obligatio utendi exemptionibus a servitio militari et a certis publicis muneribus, quas aliquae societates civiles in clericorum favorem concedunt.

Notandum etiam est de obligationibus et iuribus clericorum sub eodem titulo agi. Re quidem vera obligationes et iura saepius cohaerent et rectius ideo sub eodem titulo considerantur.

Quaenam de clericorum obligationibus et iuribus quae proponuntur explanationes tradendae videntur.

Ita, ad obligationem quod attinet coelibatus, norma in schemate proposita convenit cum doctrina et praescripto, quae in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 16, enuntiantur et adhuc postea confirmantur. Obligatio scilicet ad perfectam perpetuamque continentiam ideoque ad coelibatum, pro clericis ad sacerdotium aspirantibus initium habet a recepto diaconatu. Expresse autem affirmatur hac obligatione non teneri viros maturioris aetatis in matrimonio viventes qui, iuxta decreta competentis Episcoporum Conferentiae, ad diaconatum stabilem promoventur. Ad alias obligationes quod spectat notetur haud raro obligationes generalibus tantum verbis enuntiari, et maiorem determinationem relinqui Conciliis particularibus vel Conferentiis Episcoporum atque Ecclesiae particularis statutis.

Ad clericorum iura quod attinet, notetur non retineri praescriptionem absolutam can. 118 Codicis Iuris Canonici, vi cuius « soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive *iurisdictionis ecclesiasticae* et beneficia et pensiones obtinere ». Generalis hic statuitur norma, cuius ratione « soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ordine sacro innixa ». Magis vero determinate iam statuitur in can. 96 schematis de

Normis generalibus: «Potestatis regiminis in Ecclesia, ad normam praescriptorum iuris, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti; in exercitio eiusdem potestatis quatenus quidem eodem ordine sacro non innititur, ii qui ordine sacro non sunt insigniti eam tantum partem habere possunt quam singulis pro causis auctoritas Ecclesiae suprema ipsis concedit».

Iura clericorum quae sub hoc titulo recensentur, sunt iura quae ipsis clericis, praesertim ratione status clericalis, sunt propria. Clericis autem etiam per se competunt iura quae omnibus christifidelibus agnoscuntur, et de quibus supra agitur, scilicet in huius Libri II parte I, Titulo I, Capite II. Quaedam tamen horum iura, prae momento quod habent et ut omnia tollantur dubia, uti clericis etiam competentia affirmantur: ita est v.g. eorundem ius consociationis, quod scilicet clericis, non secus ac ceteris christifidelibus competit, certis tamen sub limitibus quae indicantur (cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 192-196).

CAPUT IV

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS

Notetur ante omnia non servari inscriptionem Codicis Iuris Canonici «De reductione ad statum laicalem». Haec enim inscriptio aliquibus minus conveniens visa est, quia minorem involvere potest existimationem pro statu laicali.

Generalia praescripta huius Capituli respiciunt MODOS quibus aliquis clericus hunc statum amittit aut amittere potest, EFFECTUS amissionis status clericalis et READMISSIONEM ad statum clericalem.

MODI sunt sequentes:

1. clericus statum clericalem amittit ipso iure, in casibus iure expressis;
2. eundem statum amittit per sententiam iudicalem aut decretum administrativum; quae vero sententia aut decretum administrativum, ad instantiam clerici datur propter duas rationes, scilicet *a*) si ratione metus gravis sibi incussi aut alius causae gravis debita libertate gavisus non est, legitime probato defectu libertatis; *b*) si probatur eundem gravi laborare infirmitate, qua incapax redditur qui obligationem suo statui propriam (continentiam et coelibatum) suscipere aut servare possit;
3. rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam clerici concesso, scilicet dispensatione ab oneribus;
4. eundem statum amittit per decretum dimissionis a statu clericali *ex officio* ad normam iuris prolatum;
5. eundem amittit tandem etiam poena irrogata, quae dimissionem a statu clericali secumfert (cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 196-197).

SECTIO II
DE ECCLESIAE CONSTITUTIONE HIERARCHICA

Duo Tituli in hac Sectione habentur. *Prior titulus* praescripta continet quae respiciunt supremam Ecclesiae universae auctoritatem eiusque exercitium. *Alter titulus* canones complectitur qui ad Ecclesias particulares earumque coetus pertinent et de auctoritatibus in iisdem Ecclesiis et coetibus constitutis agunt.

TITULUS I
DE SUPREMA ECCLESIAE AUCTORITATE EIUSQUE EXERCITIO

Quinque in hoc titulo continentur Capita. Canones proponuntur imprimis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum (*Cap. I*), de Synodo Episcoporum (*Cap. II*), de S. R. Ecclesiae Cardinalibus (*Cap. III*), de Curia Romana (*Cap. IV*), et tandem de Romani Pontificis Legatis (*Cap. V*).

CAPUT I
DE ROMANO PONTIFICE DEQUE COLLEGIO EPISCOPORUM

Ad Romanum Pontificem ipsum atque Collegium Episcoporum quod attinet, remittitur ad canones schematis Legis Ecclesiae Fundamentalis.

Generali canone deinde indicantur quatenam personae et quatenam instituta Romano Pontifici in Eius munere supremi Pastoris exercendo auxilio sunt, scilicet Synodus Episcoporum, Patres Cardinales et Curia Romana.

CAPUT II
DE SYNODO EPISCOPORUM

Quae de Synodo Episcoporum praescripta in canonibus huius Capituli referuntur, nituntur imprimis praescriptionibus M. P. Pp. Pauli VI *Apostolica sollicitudo*, d. 15 sept. 1965, atque etiam iis quae continet *Ordo Synodi Episcoporum celebrandae*.

CAPUT III
DE SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS

Proponuntur in schemate de S. R. E. Cardinalibus canones recogniti, quibus disciplina Codicis Iuris Canonici ad simpliciore formam. Quaedam quae proponuntur praescripta hic tantum sunt notanda.

Canon proponitur de Consistoriis, canon scil. 168, in quo Consistoria distinguuntur ordinaria et extraordinaria.

In can. 169 praescripta habentur de Cardinalibus qui octogesimum aetatis annum impleverint (§ 1) deque iis qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint (§ 2).

Additur etiam canon (can. 173), vi cuius Cardinales inde a sui ad Cardinalatum promotionem obligatione tenentur providendi per legitimum documentum, Apostolicae Sedi transmittendum, ut quae cum decesserint possident acta et scripta ad relationes cum Apostolica Sede eiusve actionem pertinentia, uni Sedi Apostolicae obveniant.

CAPUT IV

DE CURIA ROMANA

Post canonem generalem 176, canones postea hic inserentur quibus definiuntur inter alia competentiae uniuscuiusque Curiae Romanae Organi.

CAPUT V

DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Quae de Romani Pontificis Legatis proponuntur in schemate praescripta nituntur M. P. Pp. Pauli VI *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, d. 8 augusti 1969.

TITULUS II

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS DEQUE EARUNDEM COETIBUS

Duo continentur in hoc titulo Capita. *Caput primum* canones complectitur quae ad Provincias ecclesiasticas et Regiones ecclesiasticas pertinent necnon ad auctoritates in iisdem Provinciis et Regionibus constitutas. *Caput secundum* canones refert qui continent praescripta de Ecclesiis particularibus et de auctoritate in iisdem constituta.

Per modum autem introductionis habetur, ante haec duo Capita, canon generalis, in quo de coniunctione Ecclesiarum particularium in Provincias ecclesiasticas et de harum compositione in Regiones ecclesiasticas agitur et statuitur quaenam sit auctoritas competens ad erigendas, supprimendas aut innovandas Ecclesias particulares, provincias et regiones ecclesiasticas.

CAPUT I

DE PROVINCIIS ECCLESIASTICIS ET DE REGIONIBUS ECCLESIASTICIS

Aliquae imprimis normae praeliminares proponuntur, in quibus de Provinciis ecclesiasticis deque Regionibus ecclesiasticis generales normae traduntur. Postea tres sequuntur Articuli, in quibus praescripta enuntiantur quae agunt de Conciliis particularibus (art. 1), de Episcoporum Conferentiis (art. 2), atque de Metropolitibus et Primatibus (art. 3).

CANONES PRAELIMINARES

De *Provinciis ecclesiasticis* norma enuntiatur fundamentalis, quae convenit cum praescripto Concilii Vaticani II Decreti *Christus Dominus*, n. 40, 2°, et vi cuius omnes et singulae dioeceses atque quae ad normam iuris ipsis assimilantur communitates, alicui provinciae ecclesiasticae adscribendae sunt, ita ut territoriales dioeceses exemptae deinceps non habeantur. Auctoritates in provincia ecclesiastica constitutae sunt Concilium provinciale et Metropolita, ad normam iuris. Insuper, in provinciis ecclesiasticis quae non pertinent ad regionem ecclesiasticam, constituitur Episcoporum Conferentia.

De *Regionibus ecclesiasticis* normae quaedam traduntur, quae quidem nituntur praescriptis eiusdem Decreti *Christus Dominus*, n. 40, 3°, quod ita sonat: « Ubi utilitas id suadeat, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda ». Ad hanc vero ordinationem quod attinet, haec quae sequuntur proponuntur praescripta.

a) Iudicium decisioque de erigendis regionibus ecclesiasticis pertinet ad supremam Ecclesiae auctoritatem, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis.

b) Pro regula habeatur ut regio ecclesiastica comprehendat omnes provincias ecclesiasticas in eadem natione constitutas. Attamen, ubi adiuncta id suadeant, erigi potest regio ecclesiastica sive quae aliquas tantum provincias ecclesiasticas in natione constitutas complectatur, sive quae provincias ecclesiasticas diversarum nationum comprehendat.

c) Regiones ecclesiasticae subsunt auctoritati *Concilii regionalis* (quod in iure Codicis Iuris Canonici a. 1917 appellatur Concilium plenum, et saepe reipsa erat nationale), atque Episcoporum Conferentiae regionis, ad normam iuris.

d) Regiones ecclesiasticae dividi possunt in diversos districtus regionales, et iis singulis praest Episcoporum Conferentia districtus regionalis. Est haec Conferentia quae hodie de facto Conferentia regionis vocatur, sed deinceps Conferentia districtus regionalis appellanda est (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 43-44).

Art. I

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

Particularia Concilia distinguuntur *Concilia regionalia*, pro omnibus scilicet provinciis ecclesiasticis et Ecclesiis particularibus eiusdem regionis ecclesiasticae, et *Concilia provincialia*, pro omnibus nempe Ecclesiis particularibus eiusdem provinciae ecclesiasticae.

Normae huius Articuli respiciunt: 1° tempus eorundem celebrationis; 2° eorundem Conciliorum convocationem atque ordinationem; 3° eorundem membra: definitur quinam ad eadem convocandi sint et quinam ad ea convocari possint, quinam in iisdem iure gaudent suffragii deliberativi, quinam iure suffragii consultivi tantum; 4° eorundem Conciliorum potestatem et decretorum quae ferunt vim obligandi.

Quaestio poni poterat utrum Concilia regionalia servanda sint; sunt enim etiam Episcoporum Conferentiae, quae aliqua potestate legislativa gaudent. Omnibus vero consultoribus consentientibus, servantur Concilia regionalia, ad quae quidem multae personae convocari debent, quae in Episcoporum Conferentia partem non habent. Verumtamen nullum determinatur tempus celebrationis eorundem Conciliorum. Norma est eadem celebranda esse quoties id de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis, approbante Sancta Sede, necessarium aut utile videatur (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 45-48).

Art. II

DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

Qui in schemate proposito de Episcoporum Conferentiis enuntiantur canones innituntur praesertim, uti patet, praescriptis Decreti *Christus Dominus*, nn. 37 et 38, necnon M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 41, quo quidem normae traduntur ad dicti Decreti praescripta exsequenda.

Normae quae in canonibus schematis proponuntur attinent: 1° ad constitutionem Episcoporum Conferentiarum; 2° ad earum membra; 3° ad earum statuta, quae quidem conficienda sunt a singulis Conferentiis; 4° ad earundem conventus plenarios seu congregationes generales; item ad potestatem qua gaudent necnon vim decretorum quae ferunt; 5° ad Consilium Episcoporum permanens, cuius est praeparare res in plenario conventu agendas atque providere ut decisiones in iisdem statutae executioni mandentur; 6° ad Conferentiae Secretariam generalem eiusque munus proprium; 7° ad relationes inter Episcoporum Conferentias diversarum regionum ecclesiasticarum (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 48-50).

Art. III

DE METROPOLITIS ET PRIMATIBUS

De Primatibus unica regula statuitur, scilicet eosdem, sicuti et Patriarchas in Ecclesia latina nullam, qua tales, habere regiminis potestatem, nisi quaedam iure particulari eis concessa sit.

De Metropolitís aliqui canones habentur qui agunt: 1° de eorum constitutione; 2° de eorum competentia seu potestate in dioecesibus suffraganeis et de eorum iuribus; 3° de eorum obligatione a Romano Pontifice petendi *pallium* et de huius significatione necnon de effectu pallii recepti.

CAPUT II

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS ET DE AUCTORITATE IN IISDEM CONSTITUTA

In duodecim Articulos dividitur hoc Caput II. Qui Articuli successive agunt de ipsis Ecclesiis particularibus (art. 1), de Episcopis (art. 2), de Synodo dioecessana (art. 3), de Curia dioecessana (art. 4), de Consilio presbyterali et de Collegio consultorum (art. 5), de canonicorum Capitulis (art. 6), de Consilio pastorali (art. 7), de sede impedita et de sede vacante (art. 8), de paroeciis et de parochis (art. 9), de vicariis paroecialibus (art. 10), de Vicariis foraneis seu decanis (art. 11) atque tandem de ecclesiarum rectoribus (art. 12).

Art. I

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

1. De earum definitione imprimis dantur praescripta.

Sensu proprio et pleno Ecclesia particularis est *dioecesis*, uti apparet ex dictis in Decreto *Christus Dominus*, n. 11.

Eidem in iure *aequiparantur* aliae quaedam communitates, scilicet Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, Praelatura et Abbatia cum proprio populo christiano, atque Administratio Apostolica; ipsi quoque *aequiparatur*, nisi aliud ex rei natura aut iuris praescripto appareat, Praelatura personalis. Agitur de Praelatura personali, cui competit sibi incardinare clericos qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus qui speciali indigent adiutorio.

2. De Ecclesiarum particularium communitatumque eis *aequiparatarum* *circumscriptione* seu *determinatione* deinde traduntur normae. Regula est generalis, vi

cuius certo territorio circumscribi debent. Exceptiones autem huic regulae haberi possunt, quia Ecclesiae particulares possunt etiam esse sive personales sive mixtae.

3. De Ecclesiarum particularium communitatumque eis aequiparatarum partitione tandem habentur praescripta: a) de paroeciis constituendis normae enuntiantur; notetur in textu proposito supprimi distinctionem inter paroecias et quasi-paroecias; b) de Vicariatibus foraneis seu decanatibus, in quos coniunguntur diversae paroeciae viciniore etiam praescripta traduntur; c) insuper de districtibus dioecesanis, qui nempe diversis decanatibus constant quibusque praesunt Vicarii episcopales, tandem agitur (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 40-43).

Art. II

DE EPISCOPIS

Sub hoc Articulo habentur tres §§, quae agunt de Episcopis in genere (§ 1), de Episcopis dioecesanis (§ 2) et de Episcopis coadiutoribus et auxiliariis (§ 3).

§ 1. De Episcopis in genere

In hac § 1 generalia praescripta traduntur quae de quibuscumque Episcopis valent, scilicet tum de Episcopis dioecesanis tum de Episcopis titularibus, et quidem sive hi sint coadiutores sive auxiliares sive simpliciter titulares.

1. *Notiones* enuntiantur, quae innituntur doctrina a Concilio Vaticano II tradita in Constitutione dogmatica *Lumen gentium*, nn. 19-22, atque in Decreto *Christus Dominus*, nn. 2 et 4.

Distinguuntur *Episcopi dioecesani* — in iure Codicis Iuris Canonici dicuntur « residentiales », nunc autem dici debent dioecesani (cfr. Decr. *Christus Dominus*, Cap. II, n. 11) —, et *Episcopi titulares*; qui iterum distinguuntur ii qui officium in certa dioecesi explent, scilicet *Episcopus coadiutor* et *Episcopus auxiliaris*, et alii *simpliciter titulares*, qui aliud munus explent, sive in bonum alicuius Ecclesiae vel diversarum insimul Ecclesiarum particularium sive in bonum Ecclesiae universae.

2. De *designatione personae Episcopi* normae traduntur, itemque de consultatione in ordine ad eorundem nominationem quod attinet: his normis partes determinantur Episcoporum Conferentiarum atque Episcoporum dioecesanorum provinciae ecclesiasticae in qua sita est dioecesis de qua agitur. Regulae respiciunt: a) constitutionem omnium Episcoporum; b) nominationem Episcoporum dioecesanorum aut coadiutorum; c) nominationem Episcoporum auxiliarium.

3. De *missione canonica* requisita etiam praescripta enuntiantur.

4. *Dotes in futuro Episcopo requisitae*, scilicet ut ad officium Episcopi idonei habeantur, determinantur.

5. *Iura et privilegia* tandem omnium Episcoporum definiuntur (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 217-219).

§ 2. De Episcopis dioecesanis

1. *Notio Episcopi dioecesani* traditur, in qua generalibus verbis eiusdem munus definitur.

2. *Dioecesis captio possessionis* etiam ordinatur, et definitur duobus pro casibus distinctis, scilicet prout agitur de dioecesi iam existente aut de dioecesi noviter erecta.

3. *Episcopi dioecesani munera et potestas* deinde in specie definiuntur. Imprimis canones aliqui respiciunt eiusdem munus et potestatem, secundum doctrinam traditam in Decreto *Christus Dominus*, n. 8. Alii canones in specie agunt de diversis eiusdem muneribus in particulari, scilicet *de munere docendi*, *de munere sanctificandi* et de eius *munere regendi*. Ad hoc munus regendi quod spectat, clare affirmatur eidem competere potestatem *legislativam*, *executivam* et *iudicalem*, in dioecesi et pro omnibus causis, iis quidem exceptis quae ad normam iuris auctoritati Ecclesiae supremae aliive auctoritati reservantur. Additur etiam Episcopum dioecesanum in omnibus negotiis iuridicis dioecesis, huius personam gerere.

4. *Episcopi dioecesani obligationes* praecipuae etiam determinantur.

5. *De renuntiatione ab officio* Episcopi dioecesani tandem traduntur normae, secundum praescripta Decr. *Christus Dominus*, n. 21 et M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 11 (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 219-223).

§ 3. De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus

Normae huius § 3, quae plerumque nituntur praescriptis Concilii Vaticani II Decreto *Christus Dominus*, nn. 25-26 necnon iis quae traduntur M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 13, de constitutione imprimis agunt tum Episcopi auxiliaris, tum Episcopi auxiliaris specialibus instructi facultatibus, tum Episcopi coadiutoris. Eorundem obligationes et iura deinde definiuntur, praesertim secundum praescripta eiusdem Decreti *Christus Dominus*. Tandem normae enuntiantur de eorundem statu sede vacante et de eorum renuntiatione ab officio (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 223-224).

Art. III

DE SYNODO DIOECESANA

Diversarum quaestionum quae ad Synodum dioecesanam pertinent normae traduntur. Notetur, ad normam huius disciplinae, Synodum dioecesanam, uti regula, decimo saltem quoque anno celebrandam esse; si tamen adiuncta aliud suadeant, differri potest haec celebratio, non autem ultra viginti ab antea celebratio annos.

Normae propositae respiciunt convocationem Synodi eiusque praesidentiam, determinant quinam sunt convocandi ad Synodum dioecesanam, et affirmatur alios quoque ad eam vocari posse: definitur etiam quodnam sit eorundem ius. Diserte affirmatur autem solum Episcopum in Synodo dioecesana esse legislatorem.

Art. IV

DE CURIA DIOECESANA

Generalia imprimis de Curia dioecesana habentur praescripta, quae communiter conveniunt cum iis quae in Codice Iuris Canonici habentur. Notetur tamen novam introduci figuram et novum officium, scilicet officium *Moderatoris Curiae*, cuius est, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, et curare ut ceteri Curiae addicti officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est, si casus ferat, communicationem publicam, prelo aliisve mediis, curare.

Quattuor in hoc Articulo dantur §§, quae normas praebent de Vicariis generalibus et episcopalibus (§ 1), de Cancellario aliisque notariis et de archivo episcopali (§ 2), de examinadoribus dioecesanis (§ 3) et tandem de Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo (§ 4). (Cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 225-229).

§ 1. De Vicariis generalibus et episcopalibus

Normae de iisdem enuntiatae compositae sunt, attentis etiam praescriptis M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14. Normae illae respiciunt eorundem constitutionem, eorundem potestatem et eorum obligationes, itemque expirationem eorum potestatis. Ad constitutionem eorum quod attinet notetur vicarium episcopalem, qui non sit Episcopus auxiliaris, ad tempus tantum nominandum esse (M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 5). Clare tandem determinatur eos in dioecesi non habere potestatem legislativam, sed tantummodo potestatem executivam, ad ponendos scilicet actus administrativos, qui de competentia etiam sunt Episcopi dioecesani, iis tamen exceptis actibus quos Episcopus sibi reservaverit vel qui ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum.

§ 2. De cancellario aliisque notariis et de archivo episcopali

De cancellario aliisque notariis et de archivo episcopali plerumque servantur canones Codicis Iuris Canonici, redactione tamen canonum quandoque mutata.

§ 3. De examinadoribus dioecesanis

Imprimis notetur de sententia omnium consultorum coetus supprimi posse Codicis Iuris Canonici praescripta de parochis consultoribus, quorum quidem munus deinceps a Consilio presbyterali adimpleri potest, aut ab aliquibus sacerdotibus ex hoc Consilio ab Episcopo dioecesano delectis.

De examinadoribus dioecesanis pauca habentur praescripta. In unaquaque dioecesi constitui debent, numero ab Episcopo requisito, ut operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in quibusdam processibus.

§ 4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo

Nova proponuntur praescripta de constituendo Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo dioecesis. Consilio conceditur generalis directio rei oeconomicae, oeconomo vero executio, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 228-229).

Art. V

DE CONSILIO PRESBYTERALI ET DE COLLEGIO CONSULTORUM

De *Consilio presbyterali* praescripta enuntiantur, ut patet innixa normis quae habentur in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 7, atque praesertim in M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 15. Quae normae respiciunt huius Consilii erectionem, necessariam in singulis dioecesibus, designationem membrorum eiusdem Consilii, eiusdem competentiam, et eiusdem durationem.

Collegium consultorum praeterea constituendum affirmatur. Cum videatur nec opportunum nec possibile esse ut pro certis causis, urgentioribus praesertim, tractandis totum Consilium presbyterale convocetur, proponitur ut inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano eligantur aliqui sacerdotes, qui Collegium consultorum constituent, cui competunt iura et munera iure definita (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 229-231).

Art. VI

DE CANONICORUM CAPITULIS

Secundum praescripta huius schematis, praecipuum Capituli canonicorum munus deinceps erit *functiones liturgicas sollemniores* in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere. Ipsius tamen etiam erit alia quaedam munera adimplere, ea scilicet quae ipsi ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur. Ratio huius mutationis disciplinae est quod non pauca munera quae Capitulo canonicorum, in iure Codicis Iuris Canonici, sunt propria, in iure recognito tribuuntur sive Consilio presbyterali sive Collegio consultorum.

Inde pauciores quam in Codice habentur nunc normae de Capitulo canonicorum. Quae normae respiciunt erectionem et suppressionem Capitulum, eorundem statuta, quae quidem ab ipso Capitulo condenda sunt, officia aliqua in Capitulo erigenda necnon canonicatum collationem. Insuper praescripta habentur

quibus relationes inter Capitulum et parochum ecclesiae ordinantur, praescripta quae uti fundamentum habent normas M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21, § 3 (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, pp. 232-233).

Art. VII

DE CONSIGLIO PASTORALI

De Consilio pastorali item praescripta in schemate quae habentur nituntur normis traditis in Decreto *Christus Dominus*, n. 27, et M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 16.

Normae quae hoc in schemate enuntiantur respiciunt tum constitutionem huius Consilii, constituendum quidem quatenus sollicitudo pastoralis id suadeat, designationem membrorum, eiusdem Consilii competentiam et durationem et tandem eiusdem extinctionem (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, p. 231).

Art. VIII

DE SEDE IMPEDITA ET DE SEDE VACANTE

Duplex in hoc Articulo habetur paragraphus. In § 1 canones enuntiantur de sede impedita, in § 2 de sede vacante.

§ 1. De sede impedita

Casu quo sedes impedita est, norma enuntiat de regimine dioecesis, quae differt a norma Codicis Iuris Canonici, ut semper, quaecumque sint adiuncta, regimini dioecesis prospiciatur. Secundum normam propositam, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes providerit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, alicui Episcopo auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aut alii sacerdoti, servato personarum ordine statuto in aliquo *elencho*, qui quamprimum a capta possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis trienniis renovandus est. Tandem, si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor et elenchus praedictus non suppetat, Collegii consultorum dioecesis est sacerdotem eligere qui dioecesim ad interim regat.

§ 2. De sede vacante

Normae novae enuntiantur, in schemate de sede vacante. Prima norma est haec quae sequitur: sede vacante, nisi adsit Administrator Apostolicus aut aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit, regimen dioecesis, usque ad constitutionem Administratoris dioecesani, devolvitur ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint, ad eorundem promotione antiquiorem. Altera norma est haec: Ipse cui ita,

secundum normam primam, committitur dioecesis regimen sine mora debet convocare collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens. Hoc vero Collegium est *Collegium consultorum*, de quo supra (art. 5). Attamen in dioecesibus, in quibus iure electionis aut praesentationis Episcopi gaudet Capitulum cathedrale, electio Administratoris dioecesani facienda est ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum, in unum Collegium coadunatis, moderante eo qui Capitulo praest.

Normae deinde proponuntur de requisitis ut quis Administrator sit dioecesanus, de potestate quam obtinet et de remotione Administratoris dioecesani eiusque cessatione ab officio.

Art. IX

DE PAROECIIS ET PAROCHIS

De ipsa *paroecia* imprimis proferuntur praescripta. Distinguuntur vero una ex parte paroecia cuius cura committitur uni sacerdoti, paroeciae parochi, et paroecia aut paroeciae diversae, quarum cura conceditur pluribus in solidum sacerdotibus, seu coetui sacerdotum (*équipe*).

Deinde *de parochi* diversae traduntur normae. Ad officia parochi quod spectat, eadem determinantur ratione trium munerum quae adimplere debet, scilicet muneris docendi, muneris sanctificandi et muneris regendi. Notetur etiam, ad munera parochi quod attinet, non amplius sermonem fieri de muneribus parochi reservatis (ut in can. 462 CIC), sed de muneribus ab ipso parochi adimplendis, et ab aliis non nisi ipso consentiente exercendis. Notetur tandem normas quasdam tradi de cessatione ab officio parochi necnon de vacatione paroeciae.

Denique tandem normae praebentur generales *de coetu sacerdotum*, quibus in solidum cura alicuius paroeciae aut diversarum insimul paroeciarum committitur.

Art. X

DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Distinctio non amplius fit inter vicarium cooperatorem, vicarium substitutum et vicarium oeconomum. De vicariis paroecialibus simpliciter normae traduntur. Parochi autem absente aut impedito, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultatibus et iuribus in his quae ad curam pastorem pertinent, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus et, si plures sint, eorundem nominatione antiquior.

De vicario paroeciali normae in hoc Articulo traduntur respicientes eiusdem constitutionem, eiusdem obligationes necnon eiusdem amotionem ab officio.

Art. XI

DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Praescripta quae his canonibus continentur innixa praesertim sunt normis quae praebentur tum Decreto *Christus Dominus*, n. 30, tum M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 19. Inde apparet praecipuum Vicarii foranei munus esse universa quae ad pastoralement actionem studia et incepta in vicariatu foraneo sibi commissio suscipiunt clerici, sodales Institutorum vitae consecratae et laici, promovere, moderari et coordinare. Alia tamen eiusdem munera et obligationes quibus tenetur, indicantur in canonibus huius Articuli.

Art. XII

DE ECCLESiarUM RECTORIBUS

In hoc Articulo praescripta traduntur quae respiciunt ecclesiarum rectores, i.e. sacerdotes quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis Instituti vitae consecratae aut clericorum societatis, quae in eadem officia celebret.

SECTIO III

DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE

Cum de his Institutis habeatur schema iam transmissum ad consultationem, nihil de iisdem in hac relatione est dicendum.

SECTIO IV

DE CHRISTIFIDELIBUS LAICIS

In hac Sectione duo habentur Capita, quae praebent praescripta de obligationibus et iuribus christifidelium laicorum (Caput I) necnon normas speciales de christifidelium laicorum consociationibus (Caput II).

Obiicere quis posset paucas in hoc loco de christifidelibus laicis tradi normas. Prae oculis vero habendum est plerasque normas de iisdem tradi in Parte I huius Libri, scilicet in huius Partis I praesertim Titulo I, Capite II, de omnium christifidelium obligationibus et iuribus, et in Capite III, de christifidelium consociationibus.

PARS PRIMA
DE PERSONIS IN GENERE

TITULUS I
DE CHRISTIFIDELIBUS

Can. 1 (CIC 87)

Baptismo homo Ecclesiae Christi incorporatur et in eadem constituitur persona, cum officiis et iuribus quae christianis, attenta quidem eorum condicione, sunt propria, quatenus in ecclesiastica sunt communionem atque nisi obstet lata legitime sanctio.

CAPUT I
DE PERSONARUM PHYSICARUM STATU CANONICO

Can. 2 (CIC 88)

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos, expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.

Can. 3 (CIC 89)

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.

§. 2. Persona minor in exercitio suorum iurium potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, iis exceptis in quibus minores lege divina aut iure canonico a patria potestate exempti sunt; ad constitutionem tutorum eorumque potestatem quod attinet, servantur praescripta iuris

civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

Can. 4 (CIC 88, § 3)

Quicumque usu rationis habitu caret censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

Can. 5 (CIC 90)

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilium habuit pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet natalitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus est.

Can. 6 (CIC 91)

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

Can. 7 (CIC 92)

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tres menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

Can. 8 (CIC 95)

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 9.

Can. 9 (CIC 93)

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, communi quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domicilium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen etiam proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere.

Can. 10 (CIC 93)

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Quicumque alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatelam legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

Can. 11 (CIC 94)

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illius quoque qui non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commoratur.

Can. 12 (CIC 96)

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

Can. 13 (CIC 97)

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato, atque viget inter virum et mulieris consanguineos, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 2. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

Can. 14 (novus)

Filii qui ad normam legis civilis nationis adoptati sint, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint, attentis cann. 275 et 294 (recognitis « De Sacramentis »).

Can. 15 (CIC 98)

§ 1. Inter varios Ecclesiae Ritus ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis ad normam iuris baptizatus est aut baptizari debuisse.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii Ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium Ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad Ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt Ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant reassumere.

3° filii quattuordecim annis minores quorum pater aut, in mixto matrimonio pars catholica, ad alium Ritum legitime transierit; adepta vero hac aetate, possunt pristinum Ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno Ritui recipiendi, non secumfert Ritus mutationem.

CAPUT II

DE OMNIUM CHRISTIFIDELIUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

Can. 16

Nomine christifidelium intelleguntur homines qui, utpote baptismo Christo incorporati, in Populum Dei sunt constituti, quique hac ratione, de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali pro parte sua participes facti, unusquisque secundum propriam condicionem iuridicam, ad missionem quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit exercendam vocantur.

Can. 17

§ 1. Obligationes et iura quae statuuntur in canonibus qui sequuntur omnibus propria sunt christifidelibus, sive sint clerici sive sint laici, nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, conditionis socialis vel sexus.

§ 2. Etiam sodales Institutorum vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum iisdem subiiciuntur obligationibus iisdemque gaudent iuribus, nisi iuxta sacros canones aut proprias constitutiones quorundam iurium exercitio renuntiaverint aut ab adimplendis quibusdam obligationibus exempti sint.

Can. 18

§ 1. Etsi in Ecclesia Christi diversa christifidelium sint officia et munera, veram in dignitate et actione communi aequalitatem, quae unius baptismatis ratione, inter eos viget, omnes agnoscere, atque fraternitatem qua hac ratione inter se devinciuntur observare tenentur.

§ 2. Illos tamen qui in Ecclesia ut sacrorum ministri constituuntur, huius ministerii ratione, omnes christifideles reverentia prosequantur.

Can. 19

§ 1. Baptismo irrevocabiler in Ecclesia Christi incorporati cum sint, christifideles obligatione tenentur curandi ut, agendi ratione quoque, communionem semper servant cum eadem Ecclesia, his quidem in terris a successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata.

§ 2. Magna cum diligentia officia adimpleant quibus tenentur non tantum erga Ecclesiam Christi universam, sed etiam erga Ecclesiam particularem ad quam, secundum iuris praescripta, pertinent.

Can. 20

Christifideles, unusquisque pro sua competentia et condicione, obligatione tenentur ad unionem inter cunctos christianos fovendam, attentis normis a competenti auctoritate ecclesiastica statutis, necnon ad pacem, iustitiam innixam, inter omnes homines promovendam.

Can. 21

Christifideles obligatione tenentur veram fidem, quam cognoscant, servandi atque officio gaudent et iure eandem coram aliis profitendi.

Can. 22

§ 1. Singuli christifideles, ratione habita uniuscuiusque capacitatis, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam doctrinae christianae cognitionem, secundum requisita proprii status ac condicionis.

§ 2. Omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent ut, propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus, iusta libertate inquisitionem instituunt, utque conclusiones ad quas deveniant, debita cum prudentia atque necessario erga Ecclesiae Magisterium obsequio, cum aliis communicent.

Can. 23

Christifideles illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili secuti tenentur.

Can. 24

§ 1. Cuncti christifideles, ut plenitudinem vitae christianae, ad quam ipso baptismo vocantur, ducere valeant, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi, iuxta iuris praescripta.

§ 2. Integrum est cunctis christifidelibus ut, sive singuli sive in associationibus coniuncti, illam spiritualitatis formam, doctrinae Ecclesiae conformem, colant quam in conscientia proprio statui et muneri convenientem censeant.

Can. 25

Christifideles Ritus qui ad normam canonis 15 est sibi proprius sequi valent ac debent.

Can. 26

Universis christifidelibus officium et ius est active in celebrationibus liturgicis participandi, iuxta praescripta a legitima ecclesiastica auctoritate statuta.

Can. 27

§ 1. Cunctis fidelibus officium et ius est, unicuique pro parte quam in missione Ecclesiae habet, ad laborandum ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur.

§ 2. Omnibus etiam onus incumbit et ius est, unicuique secundum proprium statum et condicionem, ut, sive singuli sive consociati, apostolatum exercent, in communione cum sacris Pastoribus.

Can. 28

§ 1. Fideles ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris Pastoribus patefaciant.

§ 2. Item, pro scientia et competentia quibus pollent, facultatem, immo aliquando officium, habent ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt in veracitate, cum caritate ac prudentia declarent, servata semper reverentia sacris Pastoribus debita.

Can. 29

Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alios fines eidem Ecclesiae proprios necessaria sunt media.

Can. 30

Christifideles omnes iure gaudent ut, a quacumque coactione immunes, statum vitae libere eligant.

Can. 31

§ 1. Debita cum competenti auctoritate relatione servata, universis christifidelibus ius est condere et moderari consociationes iisque nomen dare, itemque conventus habere ad fines spirituales in communi persequendos.

§ 2. Nemo cogi potest ut alicui consociationi det nomen.

Can. 32

Fidelibus ius est ut bona fama qua gaudent ab omnibus in honore habeatur; quapropter nemini licet illegitime eandem laedere.

Can. 33

Christifideles officium et ius habent servandi secretum commercii epistolaris aliisque personalis indolis.

Can. 34

Ius est christifidelibus recurrendi ad instantiam iure determinatam contra auctoritatem quae fines suae competentiae transcendit, aut eadem utitur in finem lege non intentum.

Can. 35

Christifidelibus quorum interest competit ut iura quibus in Ecclesia gaudent legitime defendant in foro ecclesiastico, et quidem via iudiciali necnon, in casibus iure definitis, via administrativa, ad normam iuris.

Can. 36

§ 1. Christifideles ius habent ut semper iudicentur a Tribunali quod in causa de qua agitur, ad normam iuris est competens, atque servato modo eodem iure definito firmo praescripto can. (*De Processibus*, can. 16, § 1).

§ 2. Fideles qui sive in processibus iudiciariis sive in causis administrativis sunt partes, ius habent ut audiantur atque ut adiutorio gaudeant patroni libere ab ipsis electi aut, deficiente electione, ab officio ipsis dati.

§ 3. Fideles, contra quos sive via iudiciaria sive via administrativa proceditur ratione denunciationis contra eos apud auctoritatem ecclesiasticam factae, ius habent ut sibi nomen denuntiantis communicetur.

§ 4. Christifideles contra quos ab auctoritate ecclesiastica fertur sententia aut decretum, ius habent cognoscendi rationes quibus decisio innititur.

§ 5. Nemo poena plecti potest nisi ob delicta, quae iam tempore commissionis, eadem poena ipsa lege determinata puniuntur, salvo praescripto can. (*De iure poenali*, can. 73).

Can. 37

§ 1. Christifideles obligatione tenentur servandi ac promovendi iura quae hominibus ratione dignitatis humanae divinaeque vocationis ad salutem competunt, itemque tuendi et defendendi libertatem qua Ecclesia gaudet ut missionem sibi propriam adimplere valeat.

§ 2. Abstineant igitur fideles a participandis vel sustinendis actionibus quae dignitati personae humanae aut missioni Ecclesiae detrimento esse possint, et caveant ne partem habeant in consociationibus aut conventibus, quorum operae bono Ecclesiae sint contrariae.

Can. 38

Omnes christifideles, doctrina Ecclesiae in re sociali innixi, iustitiam inter homines populosque promoveant, atque operibus pietatis et caritatis christianae auxilium praestent, praesertim quibus efficax praebetur adiumentum iis qui in necessitate versantur.

CAPUT III
DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

Art. I
CANONES INTRODUCTORII

Can. 39

§ 1. In Ecclesia habentur consociationes distinctae ab Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum, consociationes nempe in quibus christifideles, sive clerici sive laici sive clerici et laici insimul, communi opera contendunt ad perfectiorem vitam christianam fovendam, aut ad cultum publicum vel doctrinam christianam promovendam, aut ad alia apostolatus opera, scilicet ad evangelisationis incepta, ad ordinem temporalem spiritu christiano animandum, ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

§ 2. Iis praesertim sua nomina dent christifideles consociationibus, quae pro tempore et re maiorem praebeant utilitatem, quaeque a competenti auctoritate ecclesiastica aut erectae aut laudatae vel commendatae sint.

§ 3. Enixe commendantur, quovis nomine vocentur, consociationes quas christifideles, sive clerici sive laici, sive clerici et laici insimul, constituunt ad doctrinam christianam divulgandam operaque apostolatus perficienda in terris missionum aliisque regionibus aut coetibus socialibus qui speciali indigent adiutorio.

Can. 40

§ 1. Integrum est christifidelibus, privata inter se conventionem inita, consociationes constituere ad pietatem excolendam vel ad apostolatus opera exsequenda, aliosque fines spirituales de quibus in can. 39, § 1 persequendos, salvo tamen can. 41, § 1.

§ 2. Consociationes quas libera pactio inter se inita christifideles, ad fines spirituales constituunt, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica laudentur vel commendantur, consociationes privatae vocantur.

§ 3. Nulla consociatio nomen « catholica » sibi assumat nisi de consensu auctoritatis ecclesiasticae competentis, ad normam can. 53.

Can. 41

§ 1. Unius auctoritatis ecclesiasticae competentis est erigere christifidelium consociationes quae sibi proponunt declarationem doctrinae christianae eiusve traditionem nomine Ecclesiae aut cultus publici ordinationem, quaeve alios intendunt fines spirituales quorum persecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur.

§ 2. Auctoritas ecclesiastica competens, si id expedire iudicaverit, christifidelium consociationes quoque erigere potest ad alios fines spirituales directe vel indirecte prosequendos, quorum procurationi privatorum inceptis non satis provisum sit.

§ 3. Christifidelium consociationes quae a competenti auctoritate ecclesiastica eriguntur consociationes publicae vocantur.

Art. II

NORMAE COMMUNES OMNIBUS CONSOCIATIONIBUS

Can. 42

Christifidelium consociationes clericales dicuntur quae sub modamine sunt clericorum, exercitium ordinis sacri assumunt atque ut tales a competenti auctoritate agnoscuntur; secus laicales sunt.

Can. 43

§ 1. Omnes christifidelium consociationes, sive publicae sive privatae, quocumque titulo seu nomine vocentur, sua habeant statuta, quibus definiuntur consociationis finis seu obiectum sociale, sedes, regimen et conditiones ad partem in iisdem habendam requisitae, quibusque determinantur, attentis quidem temporis et loci neccessitate vel utilitate, agendi rationes.

§ 2. Titulum seu nomen sibi eligant, temporis et loci usibus accommodatum, maxime ab ipso spirituali fine quem intendunt selectum.

Can. 44

§ 1. Omnes christifidelium consociationes subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae ad normam § 2 competentis, cuius est curare ut in iisdem integritas fidei ac morum servetur, et advigilare ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant, cuique itaque ad normam iuris et statutorum easdem invisendi officium competit et ius; subsunt etiam eiusdem auctoritatis regimini secundum praescripta canonum qui sequuntur.

§ 2. Vigilantiae et regimini unius Sanctae Sedis subsunt consociationes de iure universales atque consociationum foederationes universales; Episcoporum Conferentiarum in quarum territorio existunt, consociationes internationales quae de iure ad certas regiones ecclesiasticas limitantur; Episcoporum Conferentiae regionis, consociationes regionales; loci Ordinatio, consociationes dioecesanae necnon, iuxta statuta uniuscuiusque consociationis, sectiones dioecesanae consociationum universalium, internationalium, regionalium vel interdioecesanarum.

§ 3. Consociationes quae ad normam can. 53, § 1 erectae sunt a Sancta Sede vel quae vi privilegii apostolici ab Instituto vitae consecratae exempto constitutae sunt, Ordinario loci non competit visitare quod attinet ad ea quae internam consociationis disciplinam spectant.

Can. 45

Ut quis consociationis iuribus atque privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus eidem consociationi concessis fruatur, necesse est et sufficit ut secundum iuris praescripta et propria consociationis statuta sit in eadem valide receptus et non ab eadem legitime dimissus.

Can. 46

§ 1. Membrorum receptio fiat ad normam iuris ac statutorum uniuscuiusque consociationis.

§ 2. Eadem persona adscribi potest pluribus consociationibus.

§ 3. Non-catholici adscribi possunt christifidelium consociationibus, nisi iudicio auctoritatis de qua in can. 44, § 2 id fieri non possit sine detrimento actionis consociationi propriae aut exinde oriatur periculum ne catholicorum fides in discrimen vocetur.

Can. 47

Nemo legitime adscriptus a consociatione dimittatur, nisi iusta de causa ad normam iuris et statutorum.

Can. 48

Consociationibus legitime constitutis ius est, ad normam iuris et statutorum, edendi particulares normas ipsam consociationem respicientes, celebrandi comitia, eligendi Moderatores, officiales et ministros atque bonorum administratores.

Can. 49

§ 1. Omnis consociatio quae ad normam can. 71 persona iuridica donatur, subiectum est capax obligationum et iurium quae eius naturae personae iuridicae congruunt, atque bona possidere et acquirere potest ad fines consociationis directe vel indirecte persequendos.

§ 2. Consociatio privata quae persona iuridica non donatur, qua talis subiectum esse non potest obligationum et iurium; christifideles tamen in ea consociati coniunctim obligationes contrahere atque uti compossessores iura et bona possidere et acquirere possunt; quae iura et obligationes per mandatarium seu procuratorem exercere valent.

Can. 50

§ 1. Potest christifidelium consociatio oblationes recipere ad fines consociationis persequendos, et recepta erogare ad ipsius consociationis usus, salva semper offerentium voluntate.

§ 2. Nulli consociationi licet eleemosynas colligere, nisi id aut statuta permittant aut necessitas postulet, et consensus accedat Ordinariorum locorum in quibus consociatio eleemosynas colligere intendat, atque servetur forma ab iisdem praescripta.

Can. 51

Sodales Institutorum vitae consecratae qui consociationibus vi privilegii apostolici erectis praesunt, curent ut eadem consociationes operibus apostolatus in dioecesi existentibus adiutorium praebeant, cooperantes praesertim, sub directione Episcopi dioecesani, cum consociationibus quae ad apostolatum in dioecesi exercendum ordinantur.

Can. 52

Sodales Institutorum vitae consecratae possunt quoque christifidelium consociationibus nomen dare, iis exceptis quarum statuta et actiones, iudicio Moderatoris competentis Instituti, cum observantia regulae et constitutionum aut cum adimplemento muneris, ipsis a Moderatore concrediti, conciliari nequeunt.

Art. III

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS PUBLICIS

Can. 53

§ 1. Auctoritas competens ad erigendas christifidelium consociationes publicas de iure universales atque consociationes internationales, est Sancta Sedes; ad erigendas consociationes publicas regionales et confederationes consociationum publicarum regionales est Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis, pro suo cuiusque territorio; ad erigendas consociationes dioecesanarum est, pro suo cuiusque territorio, Episcopus dioecesanus atque qui eidem iure aequiparantur, non vero Administrator dioecesanus, neque Vicarius generalis aut Vicarius episcopalis sine speciali mandato, iis tamen consociationibus exceptis, quarum erigendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est.

§ 2. Licet privilegium concessum probetur, semper tamen, nisi aliud in ipso privilegio cautum sit, ad validam erectionem consociationis aut sectionis consociationis, in dioecesi, requiritur consensus Episcopi dioecesani scripto datus; consensus tamen ab Episcopo dioecesano praestitus pro erectione domus Instituti vitae consecratae etiam valet ad erigendam in eadem domo vel ecclesia ei adnexa, consociationem quae illius Instituti sit propria.

§ 3. Nulla sectio consociationis universalis vel regionalis in aliqua dioecesi erigi potest, nisi accedat consensus Episcopi dioecesani scripto datus.

Can. 54

Consociatio publica itemque consociationum publicarum confoederatio, ipso decreto quo ab auctoritate ecclesiastica ad normam can. 53 competenti erigitur, personam iuridicam publicam acquirit.

Can. 55

Consociatio publica legitime erecta ipso erectionis decreto, ab auctoritate ecclesiastica mandatum et missionem, quatenus requiritur, recipit ad fines quos sibi proponit nomine ecclesiasticae auctoritatis persequendos.

Can. 56

Cuiuslibet consociationis publicae statuta, eorumque recognitio vel mutatio, approbatione indigent auctoritatis ecclesiasticae ad consociationis erectionem ad normam can. 53. § 1 competentis.

Can. 57

Consociationes publicae incepta propriae indoli congrua sua sponte suscipere valent atque reguntur et administrantur ad normam statutorum, sub superiore tamen directione auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 53, § 1.

Can. 58

§ 1. Consociationes seu Societates clericales publicae, quae sint iuris pontificii, ab Apostolica Sede facultate donari possunt sibi clericos adscribendi, ad normam iuris.

§ 2. Quae iure statuuntur praescripta de officiis atque iuribus facultatibusque Moderatorum Institutorum vitae consecratae, Moderatoribus quoque consociationum de quibus in § 1 applicanda sunt.

Can. 59

§ 1. In consociatione publica recipi possunt qui conditiones adimplent iure et consociationis statutis definitas.

§ 2. Qui vero christifideles censura aliqua irrogata vel declarata irretiti sint, valide in consociatione ecclesiastica recipi non possunt.

§ 3. Qui legitime adscripti in casum inciderint de quo in § 2, praemissa monitione, a consociatione dimittantur, servatis propriis statutis et salvo iure recursus ad auctoritatem ecclesiasticam de qua in can. 53, § 1.

Can. 60

§ 1. Nisi aliud in statutis approbatis praevideatur, auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 53, § 1 est consociationis publicae Moderatorem nominare, aut a consociatione praesentatum vel electum confirmare; cappellanum vero seu adsistentem ecclesiasticum, auditis ubi id expediat consociationis officialibus maioribus, nominat eadem auctoritas ecclesiastica.

§ 2. Norma in § 1 statuta valet etiam de consociationibus a sodalibus Institutorum vitae consecratae vi apostolici privilegii extra proprias ecclesias vel domos erectis; in consociationibus vero a sodalibus Institutorum vitae consecratae in propria ecclesia vel domo erectis, nominatio aut confirmatio Moderatoris et cappellani pertinet ad Moderatorem Instituti, ad normam statutorum.

§ 3. In specialibus adiunctis, ubi graves rationes id requirant, potest ecclesiastica auctoritas de qua in can. 53, § 1 designare commissarium qui eius nomine consociationem ad tempus moderetur.

§ 4. Salvo iure recursus, Moderatorem consociationis publicae iusta de causa removeere possunt qui eum nominavit aut confirmavit eorumque successores et superiores, auditis tamen tum ipso Moderatore tum consociationis officialibus maioribus ad normam statutorum; cappellanum vero removeere possunt ad normam cann. (« De normis generalibus », cann. 168-171), qui eum nominavit eiusque successores et superiores.

§ 5. In consociationibus laicalibus laici munus exercere valent Moderatoris; cappellanus seu adsistens ecclesiasticus ad illud munus ne assumatur, nisi aliud in statutis caveatur.

§ 6. In consociationibus christifidelium publicis quae directe ad apostolatum exercendum ordinantur, Moderatores ne sint qui in factionibus politicis officium directionis adimplent.

Can. 61

§ 1. Consociatio publica legitime erecta, nisi aliud cautum sit, bona quae possidet ad normam statutorum administrat sub superiore directione auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 53, § 1, cui quotannis administrationis rationem reddere debet ad normam can. (« De iure patrimoniali Ecclesiae », can. 31, § 1).

§ 2. Oblationum quoque et eleemosynarum quas collegerit, eidem auctoritati fidelem erogationis rationem reddere debet.

Can. 62

§ 1. Consociationes a Sancta Sede erectae non nisi ab eadem supprimi possunt, salvo recursu ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae ad normam iuris.

§ 2. Ob graves causas, et salvo recursu ad Sanctam Sedem, ab Episcoporum Conferentiis supprimi possunt consociationes ab iisdem erectae; a loci Ordinario consociationes a se vel a decessoribus suis erectae, et etiam consociationes ex apostolico indulto a sodalibus Institutorum vitae consecratae de consensu Ordinarii loci erectae.

§ 3. Consociatio publica ab auctoritate competenti ne supprimatur, nisi auditis eius Moderatore aliisque officialibus maioribus.

Can. 63

Suppressa aut alia ratione extincta consociatione publica, eiusdem bona, nisi earum destinatio in statutis praevisa sit, in dominium deferuntur personae iuridicae ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum vel donatorum voluntate necnon iuribus quaesitis.

Art. IV

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS PRIVATIS

Can. 64

Consociationes privatas, quas scilicet ad fines spirituales consequendos legitime ad normam can. 40 libera inter se pactione inita constituunt

christifideles, etiam quae ab auctoritate ecclesiastica laudantur vel commendantur, iidem christifideles, secundum statutorum libere conditorum praescripta, dirigunt ac moderantur.

Can. 65

§ 1. Consociationes christifidelium privatae personam iuridicam privatam acquirere possunt per decretum formale auctoritatis ecclesiasticae competentis ad normam can. 73.

§ 2. Nulla christifidelium consociatio privata personam iuridicam acquirere potest, nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica de qua in can. 53, § 1 sint probata; statutorum vero probatio non immutat consociationis naturam privatam.

§ 3. Bona quae consociationes christifidelium privatae persona iuridica donatae possident sunt bona ipsius consociationis quae ad normam statutorum administrantur.

Can. 66

§ 1. Licet christifidelium consociationes privatae in regimine consociationis autonomia gaudeant ad normam can. 64, subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae ad normam can. 44, itemque eiusdem auctoritatis regimini, eadem ratione eodemque modo quo eidem subiiciuntur fideles singuli; eiusdem auctoritatis in specie est abusus, si qui in disciplinam ecclesiasticam irrepserint, corrigere.

§ 2. Eiusdem auctoritatis ecclesiasticae etiam est, servata quidem autonomia consociationibus privatis propria, advigilare et curare ut, quantum fieri possit, virium dispersio vitetur atque in concordem actionem diversae consociationes ordinentur, ad maius incrementum communis utilitatis.

Can. 67

§ 1. Christifidelium consociatio privata libere sibi Moderatorem et officiales nominat, ad normam statutorum.

§ 2. Christifidelium consociatio privata consiliarium spiritualem, si quendam exoptet, libere sibi eligere potest inter sacerdotes ministerium legitime in dioecesi exercentes; Ordinarius loci tamen iusta de causa consociationem invitare potest ut alium eligat.

Can. 68

§ 1. Christifidelium consociatio privata ea quae ad normam can. 49 possidet bona libere administrat, iuxta statutorum praescripta.

§ 2. Loci Ordinarii auctoritati ad normam can. (*De iure patrimoniali Ecclesiae*, can. 47) subest ad administrationem erogationemque quod attinet bonorum quae sibi ad pias causas donata aut relictæ sunt.

Can. 69

Extinguitur christifidelium consociatio privata ad normam iuris et statutorum; destinatio bonorum consociationis extinctæ ab ipsis statutis determinanda est, servato tamen can. 65, § 2.

TITULUS II
DE PERSONIS IURIDICIS

Can. 70 (CIC 99)

In Ecclesia, praeter personas físicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

Can. 71 (CIC 100 et 1489, § 2)

§ 1. Personae iuridicae constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem missioni Ecclesiae congruentem, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

§ 2. Fines de quibus in § 1 intelliguntur qui ad opera pietatis, apostolatus vel caritatis sive spiritualis sive temporalis attinent.

§ 3. Auctoritas Ecclesiae competens personalitatem iuridicam ne conferat nisi iis personarum aut rerum universitatibus, quae finem persequuntur reapse utilem atque, omnibus perpensis, mediis gaudent quae sufficere praevidentur ad finem praestitutum assequendum.

Can. 72 (CIC 99 et 100)

§ 1. Personae iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus ferendis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad normam iuris et statutorum.

§ 3. Universitas rerum constat bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, eamque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive una vel plures personae physicae sive collegium.

Can. 73 (novus)

§ 1. Personae iuridicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eandem expresse concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem expresse concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eandem consequi valet nisi cuius statuta a competenti auctoritate sint probata.

Can. 74 (CIC 100, § 3)

Personae iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

Can. 75 (novus)

Personam iuridicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

Can. 76 (CIC 101)

Ad actus collegiales quod attinet:

1° si agatur de electionibus, et iure statutisve severior norma definita non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure statutisve caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si post duo scrutinia suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

Can. 77 (CIC 102)

§ 1. Persona iuridica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competenti auctoritate legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona iuridica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio ad normam statutorum dissolvatur, aut si, de iudicio auctoritatis competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae iuridicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica; statutis propriis, si est privata.

Can. 78 (novus)

Coniunctis universitatibus, sive personarum sive rerum, quae personae iuridicae sunt publicae, ita ut ex iisdem una constituatur universitas, personalitate quidem iuridica pollens, altera haec persona iuridica bona obtinet iuraque patrimonialia prioribus propria atque onera suscipit quibus eadem gravabantur, salva, ad destinationem praesertim bonorum necnon onerum adimpletionem quod attinet, fundatorum oblato-
rumque voluntate.

Can. 79 (CIC 1500)

Divisa universitate, quae persona iuridica publica, ita ut aut illius pars alii personae iuridicae publicae uniatur, aut distincta persona iuridica publica ex parte dismembrata erigatur, auctoritatis ecclesiasticae

cui divisio competat est, servatis quidem prae aliis fundatorum ac oblato-
rum voluntate, iuribus quaesitis, necnon statutis probatis, curare per
se aut per alium, scilicet exsecutorem;

1° ut communia quae dividi valent bona atque iura patrimonialia necnon aes alienum aliaque onera inter personas iuridicas de quibus
agitur debita cum proportionem ex aequo et bono dividantur, ratione
habita omnium adiunctorum et necessitatum utriusque;

2° ut communium bonorum, quae divisioni obnoxia non sunt
usus et fructus utrique personae iuridicae cedant, oneraque iisdem pro-
pria utrique incumbant, servata item debita proportione ex aequo et
bono definienda.

Can. 80 (CIC 1501)

Extincta persona iuridica publica, eiusdem bona iuraque patrimonialia itemque onera obveniant personae iuridicae immediate superiori
quae eundem aut similem persequitur finem, salvis semper fundatorum
vel oblato-
rum voluntate, iuribus legitime quaesitis necnon statutis quibus extincta persona iuridica regebatur.

immo ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni prospiciat.

§ 2. In Seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exstent, si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat, admitti possunt iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adiuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ut ad sacerdotium admittantur, ea orrientur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda praeparantur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant.

Can. 86 (CIC 1354, § 2)

§ 1. Iuvenes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si exceptionis gratia de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per quattuor vel saltem per tres annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi personarum vel temporum adiuncta id requirant, in casibus peculiaribus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra Seminarium legitime morantur, ab Ordinario loci commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparant illam inter se consuetudinem habeant, qua fraterna inter eos habitudo quam maxime foveatur.

Can. 87 (CIC 1354, §§ 2-3)

Pro regula habeatur ut singulis dioecesibus sit Seminarium maius, ubi id fieri possit atque expediat; secus, secundum Episcoporum dioecesanorum aestimationem, aut concredantur alumni qui ad sacra ministeria sese praeparant Seminario alius dioecesis aut erigatur Seminarium

interdioecesanum pro diversis insimul dioecesibus, quod vero Seminarium, si regionale sit vel nationale, pro universis scilicet dioecesibus alicuius regionis ecclesiasticae vel nationis aut districtus regionalis, ne erigatur nisi prius obtenta ab Episcoporum Conferentia approbatione Apostolicae Sedis, tum ipsius Seminarii erectionis tum eiusdem statutorum.

Can. 88 (novus)

§ 1. Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent.

§ 2. In omnibus negotiis pertractandis personam Seminarii gerunt Episcopus dioecesanus, aut si agatur de Seminario interdioecesano, coetus Episcoporum quorum interest, itemque Seminarii Rector necnon qui ab Episcopo Episcopisve quorum interest ad hoc deputantur.

Can. 89 (CIC 1358-1359)

§ 1. In quolibet Seminario habeantur rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, et si casus ferat vice-rector, atque si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui, composita inter se earundem coordinationis ratione, varias disciplinas tradant.

§ 2. In quolibet Seminario unus saltem adsit spiritus director, relicta libertate alumni adeundi alios sacerdotes, qui de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respiciunt coetus deputatorum:

1° alter constituatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest eligantur sacerdotes, quos Episcopus Episcopive consulere possunt, immo et in negotiis maioris momenti, audire debent,

2° alter constituatur, cuius membra designentur aliqui Seminarii professores atque, in Seminario maiori etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam rectori operam praestent.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum temporalium administratione, cuius consilium Episcopus in negotiis maioris mo-

menti petere debet, cuiusque membra ab Episcopo, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, eligantur clerici vel laici in re oeconomica periti; hoc munere fungi non possunt rector et oeconomus et director spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in § 3, n. 1 et § 4, ad sexennium eligantur, sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa amoveantur.

Can. 90 (CIC 1361)

§ 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessariorum votum exquiri potest.

Can. 91 (CIC 1363)

§ 1. Ad Seminarium maius ab Episcopo dioecesano admittantur tantummodo iuvenes qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiritualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica atque conditione familiae, necnon eorum recta voluntate, habiles aestimantur qui ministeriis pastoralibus stabiliter sese dedicent.²

§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de susceptis baptismo et confirmatione aliaque quae, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis, requirantur.

§ 3. Qui ex alio Seminario vel ex aliquo Instituto vitae consecratae dimissi sint aut sua sponte discesserint, ne admittantur, nisi prius Episcopus dioecesanus a rectore Seminarii aut Moderatore Instituti notitias obtinuerit de causa eorundem dimissionis aut discessus ac de eorum indole, moribus et ingenio, atque certo compererit nihil in eis esse quod Dei ministris minus conveniat; quas notitias Superiores rogati, secundum veritatem suppeditare debent.

² Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 6.

Can. 92 (novus)

Si id ad alumnorum pleniorum formationem maturioremve ad sacros Ordines praeparationem opportunum aestimaverint, Episcoporum Conferentiae decernere valent ut candidati, sive omnes, sive, secundum iudicium Episcopi dioecesani, aliqui, probationi pro tempore determinato subiiciantur, et quidem aut expleto curriculo studiorum philosophico-theologico, post receptum nempe ordinem diaconatus, ad normam can. (« De Sacramentis », can. 214), aut etiam ineunte vel decurrente eodem studiorum curriculo.³

Can. 93 (novus)

Antequam alumnis Seminarii ordinationes sacrae conferantur, rector Seminarii de eorumdem idoneitate et aptitudine ad vitam ordini congruentem ducendam inquisitionem instituat, audiendo eorum parochos aliosque qui eosdem bene noverint, sacerdotes, immo vel delectos laicos, collectasque notitias transmittat Episcopo dioecesano, cuius est de candidatorum idoneitate iudicare.⁴

Can. 94 (novus)

§ 1. In singulis regionibus ecclesiasticis, sicut et in singulis provinciis ecclesiasticis quae ad regionem ecclesiasticam non pertineant, habeatur Institutionis sacerdotalis Ratio, ab Episcoporum Conferentia, attentis quidem normis a suprema Ecclesiae auctoritate latis, statuenda et a Sancta Sede approbanda, novis quoque adiunctis, approbante item Sancta Sede, accommodanda, qua institutionis in Seminario tradendae definiantur summa principia atque normae generales necessitatibus pastoralibus uniuscuiusque regionis, vel provinciae, aptatae.

§ 2. Normae Rationis de qua in § 1 servantur in omnibus Seminariis, tum dioecesanis tum inter-dioecesanis regionis, vel provinciae ecclesiasticae pro qua statuuntur.⁵

³ Cfr. S. Congr. pro Institutione Catholica, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis*, n. 42.

⁴ Cfr. *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis*, n. 41.

⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 1; *Ratio fundamentalis*, n. 1.

Can. 95 (novus)

Habeat insuper unumquodque Seminarium Ordinationem propriam (*Règlement, Lebensordnung, Regolamento, Rule of Life, Reglamente*), ab Episcopo dioecesano aut, si de Seminario interdioecesano agatur, ab Episcopis quorum interest, probatam, qua normae Institutionis sacerdotalis Rationis, de qua in can. 94, adiunctis particularibus accommodentur, ac pressius determinantur quae disciplinae praesertim capita ad alumnorum cotidianam vitam et totius Instituti ordinem spectant.⁶

Can. 96 (novus)

Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem iuxta uniuscuiusque indolem una cum debita maturitate humana spiritum Evangelii acquirant adeo ut apta instrumenta Christi sacerdotis efficiantur.⁷

Can. 97 (novus)

§ 1. Institutio spiritualis ita impertiatur ut alumni apti fiant qui ministerium pastorale fructuose exerceant et ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in fide viva et in caritate semper impletum ad propriam aptius sanctificationem conferre; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt, ita quidem ut ad aptam conciliationem bona humana inter et supernaturalia pervenire valeant.⁸

§ 2. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi sint imbuti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate devoti atque proprio Episcopo tamquam fidei cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes.⁹

⁶ Cfr. *Ratio fundamentalis*, nn. 2 et 25.

⁷ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 4; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 8, 11 et 12.

⁸ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, nn. 8, 11; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 3; *Ratio fundamentalis*, nn. 44, 45 et 51.

⁹ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 8 et 9; *Ratio fundamentalis*, nn. 47 et 49.

Can. 98 (CIC 1367)

§ 1. Celebratio Eucharistica, quae communione sacramentali consummatur, centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut cotidie alumni, ipsam Christi caritatem participantis animi robur pro futuro apostolico labore et pro vita sua spirituali ex hoc ditissimo praesertim fonte hauriant.¹⁰

§ 2. Formationi ad cultum Eucharisticum iungatur formatio ad divinum officium, quo Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecantur.¹¹

§ 3. Foveantur etiam quae venerando Ecclesiae usu commendata sunt pietatis exercitia quibus alumni spiritum orationis acquirant atque vocationis suae robur consequantur.¹²

§ 4. Ad Sacramentum Paenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et unusquisque habeat directorem spirituales, libere quidem electum, cui confidenter conscientiam aperire possit.¹³

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent.

Can. 99 (novus)

§ 1. De officiis et oneribus quae ministris sacris Ecclesiae propria sunt alumni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita.

§ 2. Ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur soli in Ecclesia latina ad sacerdotium admittuntur, congrua educatione praeparentur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant.¹⁴

Can. 100 (novus)

Institutio doctrinalis tradenda id intendit ut alumni, una cum cultura generali necessitatibus loci ac temporis consentanea, amplam atque

¹⁰ Cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 52.

¹¹ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5; *Ratio fundamentalis*, n. 53.

¹² Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 8.

¹³ Cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 55.

¹⁴ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 10; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16. Paulus VI, Encycl. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967.

solidam acquirant in scientiis sacris doctrinam, ita ut, propria fide inde fundata et nutrita, Evangelii doctrinam hominibus sui temporis apte ratione eorundem ingenio accommodata nuntiare valeant.¹⁵

Can. 101 (CIC 1364, 2° et 3°)

§ 1. Licet alumni, ad normam can. 85, § 3, ordinarie ad Seminarium accedere valeant tantum post adeptam humanisticam et scientificam formationem, haec eorundem formatio, praesertim si quae deficiant, prout id expedire videatur, prioribus praesertim curriculi studiorum annis, in Seminario compleatur, aut tradatur secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis.

§ 2. Eadem Institutionis sacerdotalis Ratione provideatur ut alumni non tantum accurate lingua patria sint edocti, sed ut congruam habeant cognitionem linguae latinae necnon alienarum linguarum, quarum scientia ad eorum formationem, temporis ac loci adiunctis convenientem aut ad ministerium pastorale futurum exercendum necessaria aut utilis videatur.

Can. 102 (CIC 1365)

Quae in ipso Seminario ordinantur studia philosophica et theologica, iuxta Institutionis sacerdotalis Rationem, sive successive sive coniuncte peragi possunt; eadem completum saltem sexennium complectantur, ita quidem ut tempus philosophicis disciplinis dedicatum integrum biennium, tempus studiis theologicis deditum integrum quadriennium adaequet.¹⁶

Can. 103 (novus)

Incipiente curriculo studiorum philosophico-theologicorum, alumni tradatur introductio generalis, per congruum tempus protracta, qua quidem, disciplinis philosophica et theologica apte compositis, alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem ac finem pastorem adiscant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam iuventur.¹⁷

¹⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, nn. 13-17; Const. past. *Gaudium et Spes*, n. 58, 62; Decr. *Ad gentes*, n. 16; *Ratio fundamentalis*, n. 59.

¹⁶ Cfr. *Ratio fundamentalis*, nn. 60, 70 et 76.

¹⁷ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 14; *Ratio fundamentalis*, nn. 61 et 62.

Can. 104 (novus)

Philosophica institutio, quae innixa sit oportet patrimonio philosophico perenniter valido, cuius magistri et testes praesertim sunt praeclari philosophi christiani, sed et rationem habeat requiritur philosophicae investigationis progredientis aetatis, ita tradatur ut alumnorum formationem humanam perficiat eorumque mentis acutiem provehat, atque eos ad studia theologica perficienda necnon ad ministeria apostolica obeunda aptiores reddat.¹⁸

Can. 105 (CIC 1365, § 2)

§ 1. Institutio theologica, in lumine fidei, sub Magisterii ductu, ita impertiatur, ut alumni integram doctrinam catholicam, divina Revelatione innixam, percognoscant, propriae vitae spiritualis reddant alimentum eamque, in ministerio exercendo, rite annuntiare ac tueri valeant.¹⁹

§ 2. In Sacra Scriptura, quae universae theologiae veluti anima esse debet peculiari diligentia erudiantur alumni; congrua introductione praemissa, methodo exegeseos initientur ac ita edoceantur ut totius Sacrae Scripturae conspectum acquirant.²⁰

§ 3. Lectiones habeantur theologiae dogmaticae, positivae atque speculativae, Verbo Dei scripto, una cum Sacra Traditione semper innixae; itemque lectiones theologiae moralis et pastoralis, iuris canonici, liturgiae, historiae ecclesiasticae, necnon aliarum disciplinarum auxilium atque specialium, ad normam praescriptorum Institutionis sacerdotalis Rationis.²¹

Can. 106 (CIC 1366)

§ 1. Ad magistri munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ab Episcopo aut ab Episcopis quorum interest, audito coetu deputatorum Seminarii, de quo in can. 89, § 3, 1° necnon eiusdem

¹⁸ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 15; Const. past. *Gaudium et Spes*, nn. 44, 59; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Decr. *Ad gentes*, n. 16.

¹⁹ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 16.

²⁰ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 16; Const. *Dei Verbum*, n. 23; *Ratio fundamentalis*, n. 78; LEO XIII, Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893.

²¹ Cfr. Const. dogm. *Dei Verbum*, n. 24; Decr. *Optatam totius*, n. 16.

rectore et professorum collegio, ii, ceteris paribus, nominentur qui laurea doctorali vel saltem licentia potiti sunt in Universitate studiorum aut Facultate a Sancta Sede recognita.²²

§ 2. Curetur ut distincti totidem nominentur magistri ad docendum Sacram Scripturam, Theologiam dogmaticam, Theologiam moralem, Philosophiam, Ius Canonicum, Historiam ecclesiasticam, aliasque, quae propria methodo tradendae sunt, disciplinas.

Can. 107 (novus)

§ 1. Magistri in disciplinis tradendis de intima universae doctrinae fidei unitate et harmonia iugiter solliciti sint, ut unam scientiam alumni se discere experiantur; quod ut aptius obtineatur, adsit in Seminario qui integram studiorum ordinationem moderetur.²³

§ 2. Edoceant alumnos ita ut et ipsi habiles fiant qui aptis investigationibus propriis quaestiones scientifica methodo examinent; instituantur igitur exercitationes, in quibus, sub moderamine magistrorum, alumni proprio labore studia quaedam persolvere discant.

Can. 108 (novus)

Licet universa alumnorum in Seminario formatio pastorem finem persequatur, institutio stricte pastoralis in eodem ordinetur, qua alumni edoceantur quae, attentis quoque loci ac temporis necessitatibus, ad ministerium Dei populum docendi, sanctificandi et regendi exercendum pertinent principia et artes.²⁴

Can. 109 (novus)

§ 1. Diligenter instruantur alumni in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino, praesertim sacramentis celebrandis, in commercio cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus, habendo, in paroecia administranda atque in ceteris muneribus adimplendis.²⁵

²² Cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 33.

²³ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 5, 17; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 16.

²⁴ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 4.

²⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 20; Decr. *Christus Dominus*, nn. 17-18; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9.

§ 2. Edoceantur alumni de universae Ecclesiae necessitatibus, ita ut sollicitudinem habeant de quaestionibus missionalibus, oecumenicis necnon de aliis, socialibus quoque, urgentioribus.²⁶

Can. 110 (novus)

§ 1. Clericorum institutioni ita provideatur ut non tantum Ecclesiae particularis in cuius servitio incardinentur, sed universae Ecclesiae quoque sollicitudinem habeant, atque paratos se exhibeant qui Ecclesiis particularibus, quarum gravis urget necessitas, sese devoveant.

§ 2. Curet Episcopus dioecesanus ut clerici a propria Ecclesia particulari ad Ecclesiam particularem alterius regionis transmigrare intendentes apte praeparentur ad ibidem sacrum ministerium exercendum, ut scilicet et linguae regionis scientiam acquirant, et eiusdem institutorum, conditionum socialium, usuum et consuetudinum intellegentiam habeant.²⁷

Can. 111 (CIC 1365, § 3)

Ut apostolatus exercendi artem in opere ipso etiam addiscant, alumni, studiorum curriculo decurrente praesertim vero feriarum tempore, praxi pastorali initientur per opportunas, sub moderamine semper sacerdotis periti, exercitationes, alumnorum aetati et locorum conditioni aptatas, de iudicio Episcopi, determinandas.²⁸

Can. 112 (CIC 1357)

§ 1. Episcopo dioecesano, aut si de Seminario interdioecesano agatur Episcopis quorum interest, competit quae ad Seminarii supremum regimen et administrationem spectant decernere, attentis praescriptis a Sancta Sede necnon ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Episcopus dioecesanus, aut si de Seminario interdioecesano agatur Episcopi quorum interest, frequenter Seminarium ipsi visitent, in formationem suorum alumnorum spiritualem et ecclesiasticam nec-

²⁶ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 20; Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 17, 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 39; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio*, 2 apr. 1967.

²⁷ Cfr. M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, §§ 1-4.

²⁸ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 21.

can. 217, § 1, Vicariatus et Praefectura apostolica necnon Administratio apostolica stabiliter erecta.

§ 3. Ecclesiae particulari in canonibus qui sequuntur, aequiparatur quoque Praelatura personalis de qua in can. 217, § 2.

Can. 121 (CIC 111, § 2)

§ 1. Per receptum diaconatum aliquis fit clericus et adscribitur Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est, salvo § 2 et 3.

§ 2. Sodalitas Instituti religiosi qui in eodem votis perpetuis vel definitivis cooptatus est, per receptum diaconatum adscribitur tanquam clericus eidem Instituto.

§ 3. Sodalitas Instituti vitae apostolicae consociatae aut Instituti saecularis, necnon sodalitas Societatis clericalis ab Apostolica Sede facultate incardinandi donatae, si perpetuo vel definitivo ligamine iam in eodem cooptatus est, per receptum diaconatum adscribitur tanquam clericus sive ipsi Instituto vel Societati sive Ecclesiae particulari pro cuius servitio promotus est, ad normam iuris Instituto aut Societati proprii.

Can. 122 (CIC 112)

§ 1. Ut clericus iam incardinatus alii Ecclesiae particulari valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis: et pariter ab Ordinario Ecclesiae particularis in qua incardinari desiderat litteras ab eodem subscriptas incardinationis.

§ 2. Excardinatio ita concessa effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari.

*Can. 123 (CIC 115)*³⁰

§ 1. Clericus qui a propria Ecclesiae particulari in aliam legitime transmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario Ecclesiae hospitis tum Ordinario proprio, nec horum alteruter

³⁰ Cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, § 5.

ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses a receptis litteris significaverit.

§ 2. Etiam per admissionem perpetuam in Instituto vitae consecratae aut in Societate facultate sibi clericos adscribendi gaudente, clericus a propria Ecclesia particulari excardinatur, et eidem Instituto aut Societati adscribitur.

*Can. 124 (novus)*³¹

§ 1. Extra casum verae necessitatis Ecclesiae particularis propriae, Ordinarius ne deneget licentiam emigrandi clericis, quos paratos sciat atque aptos aestimet qui regiones petant gravi cleri inopia laborantes, ibidem sacrum ministerium peracturi; prospiciat vero ut per conventionem scriptam cum Ordinario loci quem petunt iura et officia eorundem clericorum stabiliantur.

§ 2. Ordinarius licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere potest suis clericis, ad tempus praefinitum, etiam pluries renovandum, ita tamen ut iidem clerici in propria Ecclesia particulari incardinati maneant, atque in eandem redeuntes omnibus gaudeant iuribus, quae haberent si in ea sacro ministerio addicti fuissent.

§ 3. Clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transierit, suae propriae Ecclesiae manens incardinatus, a proprio Ordinario iusta de causa revocari potest, dummodo servantur conventiones cum alio Episcopo initae atque naturalis aequitas; pariter, iisdem conditionibus servatis, Ordinarius alius Ecclesiae particularis iusta de causa poterit eidem clerico licentiam ulterioris commorationis in suo proprio territorio denegare.

Can. 125 (CIC 116)

Excardinatio licite concedi potest iustis tantum de causis, quales sunt Ecclesiae utilitas aut bonum ipsius clerici; denegari autem non potest nisi exstantibus gravioribus causis; licet tamen clerico, qui se gravatum censuerit et Episcopum receptorem invenerit, contra decisionem recurrere.

³¹ Cfr. *M. P. Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, §§ 1-4.

Can. 126 (CIC 117)

Ad incardinationem clerici Ordinarius ne deveniat nisi:

1° necessitas aut utilitas suae Ecclesiae particularis id exigat, et salvis iuris praescriptis honestam sustentationem clericorum respicientibus;

2° ex legitimo documento sibi constiterit de concessa excardinatione; et habuerit praeterea ab Ordinario excardinante, sub secreto si opus sit, de clerici vita, moribus ac studiis opportuna testimonia;

3° clericus eidem Ordinario scripto declaraverit se novae Ecclesiae particularis servitio velle addici ad normam iuris.

Can. 127 (CIC 113)

Excardinationem et incardinationem, itemque licentiam ad aliam Ecclesiam particularem transmigrandi concedere nequeunt Vicarius Generalis vel Vicarius Episcopalis sine mandato speciali; nec Administrator dioecesanus, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis, et cum consensu Collegii consultorum de quo in can. 316.

CAPUT III

DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS

Can. 128 (CIC 118)

Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastici ordine sacro innixa.

Can. 129 (novus)

Clerici, utpote Episcopi cooperatores, impletis conditionibus iure requisitis, ius habent ad obtinendum officium ecclesiasticum.

Can. 130 (CIC 128)

Clerici, nisi legitimo impedimento excusentur, munus quod ipsis a suo Ordinario commissum fuerit suscipere ac fideliter adimplere tenentur.

Can. 131 (CIC 143)

Clerici, licet officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus, iure particulari determinandum, sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii, ne discedant.

Can. 132 (CIC 127)

Clerici speciali obligatione tenentur Summo Pontifici et suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi.

Can. 133 (novus)

§ 1. Clerici, quippe qui omnes ad unum conspirent opus, ad aedificationem nempe Corporis Christi, vinculo fraternitatis et orationis inter se uniti sint, et cooperationem inter se prosequantur, iuxta iuris particularis praescripta.

§ 2. Clerici, praesertim sacerdotes agnoscant eam quam pro parte sua missionem laici in Ecclesia et in mundo exercent.

Can. 134 (CIC 124-126)

§ 1. In vita sua ducenda ad sanctitatem persequendam peculiari ratione tenentur clerici quippe qui, Deo in Ordinis receptione novo titulo consecrati, dispensatores sint mysteriorum Dei in servitium Eius Populi.

§ 2. Ut hanc perfectionem persequi valeant:

1° imprimis ministerii pastoralis officia fideliter et indefesse adimpleant;

2° duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae vitam suam spiritualem nutrant; enixe igitur sacerdotes invitantur ut cotidie Sacrificium Eucharisticum litent, diaconi vero ut in eo offerendo cotidie participant;

3° obligatione tenentur sacerdotes necnon diaconi ad presbyteratum adspirantes cotidie horas canonicas persolvendi secundum proprios et probatos liturgicos libros; diaconi autem permanentes invitantur ut easdem persolvant pro parte ab Episcoporum Conferentia definita;

4° pariter tenentur ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta;

5° sollicitantur ut orationi mentali regulariter incumbant, ut frequenter ad Paenitentiae sacramentum accedant, ut Deiparam Virginem peculiari veneratione colant, aliisque mediis sanctificationis utantur communibus et particularibus.

Can. 135 (CIC 132)

§ 1. Clerici obligatione tenentur servandi perfectam perpetuamque propter Regnum coelorum continentiam ideoque ad coelibatum adstringuntur.

§ 2. Praescripto § 1 non tenentur viri maturioris aetatis in matrimonio viventes qui ad diaconatum stabilem promoti sunt; qui tamen et ipsi, amissa uxore, ad coelibatum servandum tenentur.

Can. 136 (CIC 133)

§ 1. Debita cum prudentia clerici se gerant cum personis quarum frequentatio suam obligationem ad continentiam servandam in discrimen vocare aut in fidelium scandalum cedere possit.

§ 2. Competit Episcopo dioecesano ut hac de re, audito Consilio presbyterali, normas statuatur magis determinatas utque de servata hac obligatione in casibus particularibus iudicium ferat.

Can. 137 (novus)

§ 1. Ius est clericis sese consociandi cum aliis ad fines honestos statui clericali congruentes consequendos.

§ 2. Magni habeant clerici saeculares illas praesertim consociationes quae, statutis a competenti auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et fraternum iuvamen, sanctitatem suam in ministerii exercitio fovant quaeque clericorum inter se et cum proprio Episcopo unioni favent.

§ 3. Illis tantum consociationibus presbyterorum cleri saecularis dent nomen, quibus indoles propria cleri saecularis servetur, quarumque statutis debite caveatur ut omni personarum acceptione seclusa, concordia inter omnia presbyterii Ecclesiae particularis membra plene promoveatur.

§ 4. Clerici abstineant a constituendis aut participandis consociationibus quarum finis aut actio propria cum obligationibus statui clericali propriis componi non valent aut diligentem muneris ipsis ab auctoritate ecclesiastica competenti commissi adimplerionem praepedire possunt.

Can. 138 (novus)

Curent Episcopi dioecesani ut clericis praebeatur tempus necessarium ut frui valeant mediis ad vitam supernaturalem fovendam aptis utque vacare possint studiis scientiarum, praesertim sacrarum, quatenus ad ministerium suum debite adimplendum requiratur.

Can. 139 (CIC 129-131)

§ 1. Clerici studia sacra, recepto etiam sacerdotio, ne intermittant; et solidam illam doctrinam, Sancta Scriptura fundatam, a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, ut documentis praesertim Conciliorum ac Romanorum Pontificum determinatur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

§ 2. Sacerdotes, iuxta iuris particularis praescripta, praelectiones pastorales statim post ordinationem sacerdotalem instituendas frequentent, atque statutis ab eodem iure temporibus aliis quoque intersint praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, quibus ipsis praebeatur occasio ad pleniorum scientiarum sacrarum et methodorum pastoralium cognitionem acquirendam.

§ 3. Aliarum quoque scientiarum, earum praesertim quae cum sacris connectuntur, cognitionem prosequantur, quatenus praecipue ad ministerium pastorale exercendum conferat.

Can. 140 (CIC 134)

Ut in officiis ministerii implendis aptius cooperari valeant utque in vita spirituali et intellectuali colenda magis iuvamine fraterno gaudeant, clericis valde commendatur quoddam vitae consortium, immo et vitae communis consuetudo; quae quidem, ubi viget, quantum fieri possit, servanda est.

Can. 141 (novus)

§ 1. Clerici, cum ministerio ecclesiastico se dedident, remunerationem merentur suae conditioni congruam, ratione habitae tum ipsius muneris naturae tum locorum temporumque conditionum, quaque possint necessitatibus vitae suae necnon aequae retributioni eorum quorum servitio egent providere.

§ 2. Item providendum est ut gaudeant illa sociali adsistentia, qua eorum necessitatibus, si infirmitate, invaliditate aut senectute laborant, apte prospiciatur.

§ 3. Diaconi uxorati qui plene ministerio ecclesiastico sese devotent remunerationem merentur qua sui suaeque familiae sustentationi providere valeant; qui vero ratione professionis civilis quam exercent aut exercuerunt remunerationem obtineant, ex perceptis prae aliis inde redditibus sibi suaeque familiae necessitatibus consulant.

Can. 142 (novus)

§ 1. Spiritu paupertatis ducti, clerici vitae simplicitatem colant et ab omnibus quae vanitatem sapiunt se abstineant.

§ 2. Bona quae occasione exercitii ecclesiastici officii sibi obveniunt quaeque, provisa sua ex eis honesta sustentatione et omnium officiorum proprii status adimplerione, supersunt, ad bonum Ecclesiae operaque caritatis destinant; caveant ne officium ecclesiasticum quaestui umquam habeant neve redditus ex eodem provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant.

Can. 143 (novus)

Clericis competit ut debito et sufficienti quotannis gaudeant feriarum tempore, iure universali aut particulari determinato.

Can. 144 (CIC 136)

Clerici decentem habitum ecclesiasticum, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis editas atque legitimas locorum consuetudines, deferant.

Can. 145 (CIC 138)

Clerici ab omnibus iis quae statum suum dedecent prorsus abstineant, iuxta iuris particularis praescripta.

Can. 146 (CIC 139)

§ 1. Ea quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.

§ 2. Officia publica, ea praesertim quae participationem in exercitio laicalis potestatis secumferunt, ne assumant, Episcopi sine licentia Sanctae Sedis, nec alii clerici nisi obtenta, in locis ubi intercesserit prohibitio pontificia, licentia eiusdem Sanctae Sedis, in aliis vero locis licentia tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo potestatem administrationemve exercere intendunt.

§ 3. Sine licentia sui Ordinarii, ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia, quae secumferunt onus reddendarum rationum; a fideiubendo, etiam de bonis propriis, inconsulto loci Ordinario, prohibentur; item a subscribendis syngraphis, quibus nempe obligatio solvendae pecuniae, nulla definita causa, suscipitur, abstineant.

§ 4. Sine licentia sui Ordinarii, neminem coram tribunali laicali trahant; in laicali iudicio criminali nullam habeant partem, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.

Can. 147 (CIC 142)

Prohibentur clerici per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, negotiationem aut mercaturam exercere, nisi de licentia legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Can. 148 (CIC 141)

§ 1. Clerici pacem et concordiam inter homines servandam quam maxime semper foveant, in intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus nulla ratione partem habeant.

§ 2. Neque activam in factionibus politicis atque in regendis consociationibus syndicalibus partem habeant, nisi iudicio competentis, ad normam can. 146, § 2, auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae iura tuenda aut bonum commune promovendum id requirat.

Can. 149 (CIC 140)

§ 1. Cum servitium militare statui clericali minus congruat, clerici militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia; iidem itemque candidati ad sacros ordines exemptionibus a servitio militari utantur quas in eorum favorem concedunt leges civiles propriae nationis conventionesque eandem inter et auctoritatem ecclesiasticam competentem initae, nisi in casibus particularibus Ordinarii aliter decernendum censuerint.

§ 2. Clerici, qui quidem sicut ceteri cives iuribus politicis et civilibus gaudent, similiter, nisi in casibus particularibus aliter decreverit Ordinarius proprius, utantur exemptionibus quas ab exercendis muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis, in eorum favorem concedunt eadem leges aut conventiones vel consuetudines.

CAPUT IV

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS

Can. 150 (CIC 211)

Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, numquam irrita fiat, clericus statum clericalem amittit:

1° ipso iure, in casibus iure expressis;

2° sententia iudiciali aut decreto administrativo, ad normam canonis 151;

3° rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam ipsius clerici concessio; quod vero rescriptum diaconis ob graves tantum causas, presbyteris ob gravissimas causas atque nonnisi post congruum probationis tempus, ab Apostolica Sede, audito proprio clerici Ordinario, conceditur;

4° per decretum dimissionis e statu clericali *ex officio* ad normam iuris prolatum;³²

³² Rogantur Episcoporum Conferentiae ut suggerere velint causas propter quas, ob rationes pastorales fundatas aestimant ut clericus, etiam citra delictum in iure poena dimissionis e statu clericali punitum, *ex officio* e statu clericali dimitti possit.

5° poena legitime irrogata quae dimissionem e statu clericali secumfert.

Can. 151 (CIC 212)

Per sententiam iudicalem aut per decretum administrativum, e statu clericali, ad suam instantiam, dimittatur:

1° clericus qui ratione metus gravis sibi incussi aut alius gravis causae debita libertate in ordine recipiendo gavisus non est, legitime quidem probato libertatis defectu;

2° clericus qui probatur gravi laborare infirmitate, qua revera incapax redditur qui obligationem statui suo propriam de qua in can. 135 suscipere aut servare possit.

Can. 152 (CIC 213)

Clericus, qui petitionem ad dimissionem e statu clericali obtinendam apud auctoritatem competentem introduxerit, nullum interim officium ecclesiasticum implere nullumque munus ministeriale exercere potest, obligationibus autem statui clericali propriis adstringitur, sola excepta obligatione horarum canonicarum.

Can. 153 (CIC 214)

Clericus qui statum clericalem ad normam iuris amittit, cum eo amittit iura statui clericali propria, officia ecclesiastica atque dignitates ecclesiasticas, nec ullis adstringitur obligationibus statui clericali propriis.

Can. 154 (CIC 214)

Clericus qui statum clericalem amisit, nequit denuo inter clericos adscribi, nisi per Apostolicae Sedis rescriptum.

SECTIO II
DE ECCLESIAE CONSTITUTIONE HIERARCHICA

TITULUS I
DE SUPREMA ECCLESIAE UNIVERSAE AUCTORITATE
EIUSQUE EXERCITIO

CAPUT I
DE ROMANO PONTIFICE DEQUE COLLEGIO EPISCOPORUM

Can. 155

Quae de suprema Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonicis Legis Ecclesiae Fundamentalibus de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuuntur.

Can. 156

§ 1. In eius munere Supremi Ecclesiae Pastoris exercendo Romano Pontifici auxilio sunt Episcopi omnes, in specie quidem Synodus Episcoporum, cuius est aptiores quibus universae Ecclesiae necessitatibus prospiciatur rationes inquirere atque de iisdem optata exprimere.

§ 2. Supremo Pastori peculiari modo adsunt Patres Cardinales, quorum est operam studiumque conferre ut quae secundum temporis adiuncta ad commune Ecclesiae bonum magis congruae et opportuna appareant rationes revera ad rem deduci possint.

§ 3. Romano Pontifici praesto sunt quoque quae ad Curiam Romanam pertinent personae et instituta, ad quae spectat varia obire munia atque explere mandata quibus praescriptae ad bonum Ecclesiarum ordinationes directe ad effectum adducantur.

CAPUT II
DE SYNODO EPISCOPORUM

Can. 157

Synodus Episcoporum, institutum quidem centrale, coetus est Episcoporum qui, ex diversis orbis regionibus selecti, arctius inter se atque cum Romano Pontifice coniuncti, statutis temporibus conveniunt ut eidem consiliis prae aliis adiutricem operam praestantes, incolumitati incrementoque fidei et morum provideant, disciplinae ecclesiasticae servandae et firmandae prospiciant, atque quaestiones ad actionem Ecclesiae in mundo spectantes perpendant.

Can. 158

Synodi Episcoporum est de quaestionibus pertractandis disceptare atque expromere optata, non vero easdem dirimere de iisque ferre decreta, nisi certis in casibus potestate deliberativa eandem instruxerit Romanus Pontifex atque quae ab eadem sunt admissa rata habuerit.

Can. 159

Synodus Episcoporum directe subest auctoritati Romani Pontificis, cuius quidem est:

1° Synodum convocare, quotiescumque id ipsi opportunum visum erit, locumque designare ubi coetus habendi sint;

2° Sodalium qui ad normam iuris peculiaris eligendi sunt electionem ratam habere aliosque sodales designare et nominare;

3° argumenta quaestionum pertractandarum, habita etiam Episcoporum observationum ratione, statuere opportuno ad normam iuris particularis ante Synodi celebrationem tempore;

4° rerum agendarum ordinem definire;

5° Synodo per se aut per alios praeesse;

6° Synodum ipsam concludere, transferre, suspendere et dissolvere.

Can. 160

Synodus Episcoporum congregari potest aut in coetum generalem, in quo scilicet res tractantur ad bonum Ecclesiae universae directe spectantes, qui quidem coetus est sive ordinarius sive extraordinarius, aut etiam in coetum specialem, in quo nempe aguntur negotia quae directe ad determinatam determinatasve regiones attinent.

Can. 161

§ 1. Synodus Episcoporum quae in coetum generalem ordinarium congregatur, constat sodalibus, quorum plerique sunt Episcopi, qui, singulis pro coetibus ab Episcoporum Conferentiis, ratione iuris peculiaris Synodum regentis determinata, eliguntur, alii vi eiusdem iuris deputantur, alii a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui sodales Institutorum vitae consecratae clericalium ad normam eiusdem iuris peculiaris electi.

§ 2. Synodus Episcoporum, ad tractanda quae expeditam requirunt definitionem negotia in coetum generalem extraordinarium congregata, constat sodalibus quorum plerique, Episcopi, officii quod adimplent ratione, iure peculiari Synodi regente deputantur, alii vero a Romano Pontifice directe nominantur; quibus accedunt aliqui sodales Institutorum vitae consecratae clericalium ad normam eiusdem iuris electi.

§ 3. Synodus Episcoporum quae in coetum specialem congregatur, constat sodalibus praecipue ex iis regionibus pro quibus convocata est delectis, ad normam iuris peculiaris quo Synodus regitur.

Can. 162

§ 1. Cum Synodi Episcoporum coetus a Romano Pontifice concludatur, absolutis nempe argumentis ad quae tractanda convocatus est, aut alia ratione ab eodem dissolvatur, explicit munus in eadem Episcopis aliisque sodalibus commissum.

§ 2. Sede Apostolica, post convocatam Synodum aut eius celebratione durante, vacante, ipso iure suspenditur Synodi coetus, itemque munus sodalibus in eodem commissum, donec novus Pontifex aut coetum dissolutum statuerit aut ipsum continuari decreverit aut novum coetum convocaverit.

Can. 163

§ 1. Synodi Episcoporum habetur Secretaria generalis permanens, cui praest Secretarius generalis, a Romano Pontifice nominatus, cuique praesto est Consilium Secretariae, constans Episcopis, quorum alii, ad normam iuris peculiaris, ab ipsa Synodo Episcoporum eliguntur, alii aliqui a Romano Pontifice nominantur, quorum vero omnium munus explicit cum novum Consilium in sequenti generali coetu constituitur.

§ 2. Pro quolibet Synodi Episcoporum coetu praeterea constituuntur unus aut plures secretarii speciales, qui a Romano Pontifice nominantur, qui autem in officio ipsis commissio tantum permanent usque ad expletum Synodi coetum.

CAPUT III

DE SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS

Can. 164 (CIC 230)

S. R. E. Cardinales peculiare Episcoporum Collegium constituunt, cui competit ut electioni Romani Pontificis provideat ad normam Const. Apost. *Romano Pontifici eligendo*, diei 1 oct. 1975, firmo praescripto can. 169, § 1; Cardinales item Romano Pontifici adsunt sive collegialiter agentes, cum ad quaestiones maioris momenti tractandas in Collegium convocentur, sive ut singuli, variis nempe officiis quibus funguntur eidem Romano Pontifici in universae Ecclesiae cura praesertim cotidiana operam praestantes.

Can. 165 (CIC 231 et 236, § 4)

§ 1. Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur: episcopalem, ad quem pertinent Cardinales quibus a Romano Pontifice titulus assignatur Ecclesiae suburbicariae, necnon Patriarchae Orientales qui in Patrum Cardinalium Collegium relati sunt; presbyteralem et diaconalem.³³

³³ Cfr. M.P. *Suburbicariis Sedibus*, d. 11 apr. 1962; M.P. *Ad Purpuratorum Patrum*, d. 11 feb. 1965.

§ 2. Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique titulus aut diaconia in Urbe assignatur a Romano Pontifice.

§ 3. Patriarchae Orientales in Patrum Cardinalium Collegium assumpti in titulum habent suam Patriarchalem sedem.

§ 4. Cardinalis Sacri Collegii Decanus in titulum habet dioecesim Ostiensem, una cum alia Ecclesia quam in titulum habebat.

§ 5. Per optionem in Consistorio factam et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate ordinis et promotionis, Cardinales ex ordine presbyterali transire ad alium titulum et Cardinales ex ordine diaconali ad aliam diaconiam et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint, etiam ad ordinem presbyteralem.

§ 6. Cardinalis ex ordine diaconali transiens per optionem ad ordinem presbyteralem, locum obtinet ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsum ad Cardinalatum assumpti sunt.

Can. 166 (CIC 232-233)

§ 1. Qui Cardinales promoveantur libere a Romano Pontifice seliguntur viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, moribus, pietate necnon rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. Cardinales creantur Romani Pontificis decreto, quod quidem coram Cardinalium Collegio publicatur; inde a publicatione facta officiis tenentur atque iuribus gaudent lege definitis.

§ 3. Promotus tamen ad cardinalitiam dignitatem, cuius creationem Romanus Pontifex annuntiaverit, eius autem nomen in pectore sibi reservans, nullis interim tenetur Cardinalium officiis nullisque eorum gaudet iuribus; postquam autem a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem tenetur officiis fruiturque iuribus, sed iure praecedentiae gaudet a die reservationis in pectore.

*Can. 167 (CIC 237)*³⁴

§ 1. Sacro Cardinalium Collegio praest Decanus, eiusque impediti vices sustinet Subdecanus; Decanus, vel Subdecanus, nulla in ceteros

³⁴ Cfr. M. P. *Sacrum Cardinalium Consilium*, d. 26 feb. 1965.

Cardinales gaudet potestate regiminis, sed ut primus inter aequales habetur.

§ 2. Officio Decani Sacri Collegii vacante, Cardinales titulo Ecclesiae suburbicariae decorati, iique soli, praesidente Subdecano si adsit, aut antiquiore ex ipsis, e coetus sui gremio unum eligant qui Decanum Sacri Collegii agat; eius nomen ad Romanum Pontificem deferant, cui uni competit electum probare.

§ 3. Eadem ratione de qua in § 2 eligitur Subdecanus, eligenti autem coetui praesidente ipso Decano; Subdecani electionem probare uni etiam Romano Pontifici competit.

§ 4. Decanus et Subdecanus, si in Urbe domicilium iam non habeant, illud ibidem acquirant.

Can. 168 (novus)

§ 1. Cardinales collegiali actione Supremo Ecclesiae Pastori praecipue auxilio sunt in Consistoriis, in quibus iussu Romani Pontificis eoque praesidente congregantur; Consistoria habentur ordinaria aut extraordinaria.

§ 2. In Consistorium ordinarium, ad eorum consultationem de quibusdam negotiis gravibus, communius tamen contingentibus, aut ad actus quosdam maxime sollemnes peragendos, convocantur omnes Cardinales, saltem in Urbe versantes.

§ 3. In Consistorium extraordinarium, quod celebratur cum peculiare Ecclesiae necessitates graviorave negotia tractanda id suadeant, convocantur Cardinales, saltem in Urbe versantes, qui octogesimum aetatis suae annum non adimpleverint.

§ 4. Solum Consistorium ordinarium in quo aliquae sollemnitates celebrantur potest esse publicum, scilicet in quo praeter Cardinales admittuntur Praelati, legati societatum civilium aliive ad illud invitati.

Can. 169 (novus)

§ 1. Patres Cardinales qui octogesimum aetatis annum impleverint, licet membra remaneant Sacri Collegii variisque iuribus et praerogativis eisdem propriis fruuntur, non excluso quidem iure ut ordinariis intersint Consistoriis:

1° ius amittunt Romanum Pontificem eligendi atque adeo in Conclave ingrediendi; qui vero post coeptum Conclave octogesimum annum compleverint, ius Romanum Pontificem eligendi ea vice retinent;

2° desinunt esse membra Dicasteriorum Romanae Curiae ceterorumque permanentium Sedis Apostolicae et Civitatis Vaticanae institutorum, etiamsi, exceptionis gratia, dioecesi alicui praesint aut eius titulum, sine regendi munere, servant.

§ 2. Patres Cardinales Dicasteriis Romanae Curiae aliisve institutis, de quibus in § 1, 2°, praepositi, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, rogantur ut renuntiationem ab officio sua sponte exhibeant Romano Pontifici, qui omnibus in unoquoque casu perpensis adiunctis, providebit.

*Can. 170 (CIC 239, §§ 2 et 3)*³⁵

§ 1. Cardinali Decano competit electum Romanum Pontificem ad sacros promovere ordines, si electus ordinatione indigeat; impedito Decano, idem ius competit Subdecano, eoque impedito, antiquiori Cardinali Episcopo.

§ 2. Cardinalis Proto-diaconus nomen novi electi Pontificis populo annuntiat; item pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit.

Can. 171 (CIC 238)

Cardinales obligatione tenentur cum Romano Pontifice sedulo cooperandi; Cardinales itaque quovis officio in Curia fungentes, qui non sint Episcopi dioecesani, obligatione tenentur residendi in Urbe; Cardinales qui alicuius dioecesis curam habent ut Episcopi dioecesani, Urbem petant quoties a Romano Pontifice convocentur, atque, cum ad Urbem venerint, ab eadem ne discedant nisi prius adito Romano Pontifice.

*Can. 172 (CIC 239-240)*³⁶

§ 1. Cardinales, quibus Ecclesia suburbicaria aut ecclesia in Urbe in titulum est assignata, postquam in eiusdem venerunt possessionem,

³⁵ Cfr. Const. Apost. *Romano Pontifice eligendo*, d. 1 oct. 1975, nn. 89-90.

³⁶ Cfr. M.P. *Suburbicariis Sedibus*, d. 11 apr. 1962, n. I.

earundem dioecesium et ecclesiarum bonum consilio et patrocínio promoveant, nulla tamen in easdem potestate regiminis pollent, nec ulla ratione sese iis interponant quae ad earum bonorum administrationem, ad disciplinam aut ecclesiarum servitium spectant.

§ 2. Cardinales extra Urbem et extra propriam cui praesunt dioecesium degentes, in iis quae ad sui personam pertinent exempti sunt a potestate regiminis Episcopi dioecesis in qua commorantur.

Can. 173 (novus)

Cardinales inde a sui ad Cardinalatum promotionem obligatione tenentur providendi per legitimum documentum, Apostolicae Sedi transmittendum, ut quae cum decesserint possident acta et scripta ad relationes cum Sede Apostolica eiusve actionem pertinentia, uni Sedi Apostolicae obveniant.

Can. 174 (novus)

Cardinali, cui a Romano Pontifice committitur ut in aliqua sollemni celebratione aliquove personarum coetu eius personam sustineat, uti *Legatus a latere*, scilicet tanquam eius alter ego, sicuti et cui concreditur ut tanquam ipsius *missus specialis* certum munus pastorale adimpleat, ea tantum competunt quae ipsi ab ipso Romano Pontifice demandantur.

Can. 175 (CIC 241)

Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium ea tantum in Ecclesia gaudet potestate, quae in Const. Apost. *Romano Pontifici eligendo*, d. 1 oct. 1975, eidem tribuitur.

CAPUT IV
DE CURIA ROMANA

*Can. 176 (novus)*³⁷

Curia Romana qua Summus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet constat Secretaria Status seu Papali, Consilio pro publicis Ecclesiae negotiis, Congregationibus, Tribunalibus, Secretariatibus et Officiis.

CAPUT V
DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Can. 177 (CIC 265)

Romano Pontifici ius est nativum et independens ad societates politicas civiliaque gubernia atque ad Ecclesias in certa natione aut ditione ecclesiastica sitas Legatos suos mittendi, sicut et eos nominandi, transferendi et revocandi, servatis quidem normis iuris internationalis, quod attinet ad missionem et revocationem Legatorum de quibus supra apud societates politicas constitutorum.³⁸

Can. 178 (novus)

§ 1. Nomine Legatorum Romani Pontificis, in canonibus qui sequuntur, appellantur viri ecclesiastici quibus Romanus Pontifex officium committit suam stabili modo gerendi personam, in variis terrarum orbis nationibus societatibusque politicis aut certis ditionibus ecclesiasticis.³⁹

§ 2. Personam Sanctae Sedis item gerunt membra illa Pontificiae Legationis quae, sive desit sive ad tempus absit Legationis praepositus, eiusdem vices supplent tum erga Ecclesias in ditione ecclesiastica sitas, tum erga Societatis politicae gubernium, appellanturque « Curam Agentes ad negotia ad interim ».⁴⁰

³⁷ Postea hic inserentur canones quibus definiuntur competentiae uniuscuiusque Curiae Romanae organi iuxta recentiora Summi Pontificis hac de re documenta.

³⁸ Cfr. M. P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, d. 8 augusti 1969, III, 1.

³⁹ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, I, 1.

⁴⁰ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, II, 2.

Can. 179 (novus)

Personam gerunt Sanctae Sedis ii quoque ecclesiastici et laici, qui, sive ut singuli sive ut praepositi alicuius Delegationis, in Pontificiam Missionem deputantur apud Consilia Internationalia, aut apud Conferentias et Congressus; qui vocantur Delegati aut Observatores, prout Sancta Sedes inter membra Consiliorum Internationalium recensetur aut non, et partem habet in aliqua Conferentia cum aut sine iure suffragii; iisdem non applicantur praescripta canonum qui sub hoc titulo habentur.⁴¹

Can. 180 (CIC 267)

Qui modo stabili legatione funguntur apud Ecclesias in certa natione aut ditione ecclesiastica sitas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui legationem modo stabili exercent insimul apud societates politicas civiliaque gubernia, nuncupantur Nuntii vel Pro Nuntii, prouti iure gaudent partes agendi Decani in Publicorum Legatorum coetu aut hoc iure carent.⁴²

Can. 181 (CIC 267, § 1, 1°)

§ 1. Firmo praescripto can. 182, Nuntii et Pro Nuntii in natione societateve politica apud quam legationem suam exercet munus est:

1° promovere et fovere necessitudines Apostolicam Sedem inter et gubernium eiusdem nationis societatisve politicae;

2° quaestiones pertractare quae ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam pertinent; et peculiari modo tractare de concordatis, de stipulationibus quae « modus vivendi » appellantur aliisque huiusmodi conventionibus quae negotia respiciunt ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam spectantia.⁴³

§ 2. In negotiis de quibus in § 1 expediendis, prout rerum adiuncta id suadeant, Legatus Pontificius sententiam et consilium Episcoporum nationis aut ditionis ecclesiasticae exquirat, eosque de negotiorum cursu certiores faciat.⁴⁴

⁴¹ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, I, 1.

⁴² Cfr. M. P. *Sollicitudo*, I, 2.

⁴³ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, X, 1.

⁴⁴ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, X, 2.

Can. 182 (CIC 267, § 1, 2° et § 2, 269, § 1)

Ad munus ordinarium tum Nuntii vel Pro Nuntii tum Delegati Apostolici pertinet:

1° operam dare ut tueatur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem utque firmiora efficacioraque in dies reddantur unitatis vincula, quae eandem Apostolicam Sedem inter et Ecclesias in natione aut ditone ecclesiastica sitas intercedunt;

2° cognoscere condiciones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est atque, sollicitudinis Summi Pontificis interpret, integrum quidem relinquens Episcoporum dioecesanorum potestatis regiminis exercitium, eorundem Episcoporum in bonum earum Ecclesiarum operam sustentare et fovere;

3° crebras fovere relationes cum Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae, eidem omnimodam operam praebens;

4° operam conferre ut promoveantur res quae ad pacem, ad progressum et consociatam populorum operam spectant;

5° iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Episcopis locorum, in quibus munere suo fungitur, in regionibus quidem orientalibus praesertim cum Patriarchis, opportuna fovere commercia Ecclesiam Catholicam inter et alias christianas communitates, immo et religiones non christianas;

6° exercere facultates et explere mandata quae ipsi ab Apostolica Sede committuntur.

Can. 183 (novus)

Ut Legatus officium suum aptius perficere valeat atque attenta peculiari sui muneris indole:

1° Sedes Legationis Pontificiae a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est;

2° Legatus Pontificius in Sacello suae Sedis potest facultates proprias exercere ibique actus divini cultus et sacras caeremonias peragere,

semper tamen congruenter cum normis in territorio vigentibus et, ubi expediat, certiore facta auctoritate ecclesiastica cuius intersit;

3° Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri possit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines suae legationis populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, peragere.⁴⁵

Can. 184 (CIC 268)

Pontificii Legati munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in Litteris pontificiis statuatur; cessat autem expleto mandato, revocatione eidem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata.⁴⁶

⁴⁵ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, X, 1, 2 et 3.

⁴⁶ Cfr. M. P. *Sollicitudo*, III, 3.

TITULUS II
DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS
DEQUE EARUMDEM COETIBUS

Can. 185 (CIC 215)

§ 1. Quae in Ecclesia Christi exstant Ecclesiae particulares ritus latini, scilicet dioeceses aliaeque fidelium communitates iisdem assimilatae de quibus in can. 217, § 1, in provincias ecclesiasticas coniunguntur; quae provinciae ecclesiasticae et ipsae in regiones ecclesiasticas componuntur, ad normam canonis 187.

§ 2. Unius supremae Ecclesiae auctoritatis est, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, Ecclesias particulares, provincias ecclesiasticas et regiones ecclesiasticas constituere, suppressere aut innovare.

§ 3. Ecclesiae particulares, provinciae ecclesiasticae et regiones ecclesiasticae legitime erectae personalitate canonica ipso iure gaudent.

CAPUT I
DE PROVINCIIS ECCLESIASTICIS ET DE REGIONIBUS ECCLESIASTICIS

CANONES PRAELIMINARES

Can. 186

§ 1. Ut communis diversarum diocesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio pastoralis promoveatur utque Episcoporum dioecesanorum inter se relationes aptius foveantur, Ecclesiae particulares viciniores componantur in provincias ecclesiasticas certo territorio circumscriptas.

§ 2. Territoriales dioeceses exemptae deinceps ne habeantur; omnes itaque et singulae dioeceses aliaeque Ecclesiae particulares intra terri-

torium alicuius provinciae ecclesiasticae existentes huic provinciae ecclesiasticae adscribi debent.

§ 3. In provincia ecclesiastica auctoritate, ad normam iuris, gaudent Concilium provinciale atque Metropolita; in provincia autem ecclesiastica ad regionem ecclesiasticam non pertinente insuper auctoritate, ad normam iuris, pollet Episcoporum Conferentia.

§ 4. Metropolitanae in provinciis ecclesiasticis quae sint magnae urbes instrui possunt peculiaribus muneribus et potestate, in iure particulari determinandis.

Can. 187

§ 1. Diversae quae in eadem natione aut in certo territorio constitutae sunt provinciae ecclesiasticae in regionem ecclesiasticam componentur, ad normam §§ 2 et 3.

§ 2. Regio ecclesiastica comprehendat omnes provincias ecclesiasticas in eadem natione constitutas, nisi, de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, adiuncta personarum ac rerum minorem aut maiorem earum amplitudinem suadeant, ita ut aliquas tantum provincias in natione constitutas aut provincias ecclesiasticas in diversis nationibus erectas complectatur.

§ 3. Quae vero provincia ecclesiastica integram complectatur unius nationis communitatem, ad regionem ecclesiasticam pertinere non debet, nisi, de iudicio item supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, Ecclesiae utilitas aliud suadeat.

§ 4. In regione ecclesiastica auctoritate, ad normam iuris, gaudent Concilium regionale atque Episcoporum Conferentia regionis.

§ 5. Regio ecclesiastica dividi potest in diversos districtus regionales; quibus singulis praest Episcoporum Conferentia districtus.

Can. 188 (CIC 281)

Ut diversarum Ecclesiarum particularium eiusdem regionis aut provinciae ecclesiasticae bono communi aptius provideatur, praesertim per definitas communes apostolatus formas ac rationes atque per definitam aequalem in fide docenda ac tuenda et in disciplina ecclesiastica ordi-

nanda rationem, sacrorum Antistites singularum regionum et provinciarum ecclesiasticarum coniunctim, secundum iuris praescripta, munus suum pastorale exercere debent; quare Concilia particularia, tum regionalia, tum provincialia celebrentur, atque Episcoporum Conferentiae constituentur, ad normam canonum qui sequuntur.

Art. I

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

Can. 189

§ 1. Concilia regionalia, pro omnibus scilicet Ecclesiis particularibus eiusdem regionis ecclesiasticae, celebrentur quoties id Episcoporum Conferentiae regionis, approbante Apostolica Sede, necessarium aut utile videatur.

§ 2. Norma in § 1 statuta valet etiam de Conciliis provincialibus celebrandis in provinciis ecclesiasticis quae regioni ecclesiasticae non sunt adscriptae.

Can. 190

§ 1. Concilia provincialia, pro diversis Ecclesiis particularibus eiusdem provinciae ecclesiasticae quae regioni ecclesiasticae est adscripta, celebrentur quoties id, de iudicio maioris partis Episcoporum provinciae, opportunum videatur.

§ 2. Sede metropolitana vacante, Concilium provinciale ne convocetur.

Can. 191

Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae est:

- 1° convocare Concilium regionale;
- 2° locum ad celebrandum Concilium regionale intra territorium regionis ecclesiasticae eligere;
- 3° praesidem Concilii regionalis eligere ac electum, ab Apostolica Sede approbatum, instituere;

4° ordinem in quaestionibus tractandis determinare, Concilii regionalis initium ac periodum indicere, illud transferre, prorogare et absolvere.

Can. 192

§ 1. Metropolitae, una cum Episcopis suffraganeis provinciae ecclesiasticae, est:

1° convocare Concilium provinciale;

2° locum ad celebrandum Concilium provinciale intra provinciae territorium eligere; qui locus, nullis exstantibus iustis impedimentis, metropolitana ecclesia sit optatur;

3° ordinem in quaestionibus tractandis determinare, Concilii provincialis initium et periodum indicere, illud transferre, prorogare et absolvere.

§ 2. Metropolitae, eoque legitime impedito Episcopi suffraganei, ab aliis Episcopis suffraganeis electi, est Concilio provinciali praeesse.

Can. 193

§ 1. Ad Concilia regionalia et Concilia provincialia convocandi sunt atque in eodem ius habent suffragii deliberativi:

1° Episcopi dioecesani regionis aut provinciae ecclesiasticae itemque omnes locorum Ordinarii territorii, Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus exceptis;

2° Episcopi coadiutores et auxiliares in aliqua Ecclesia particulari regionis aut provinciae;

3° alii Episcopi titulares qui peculiari munere sibi ab Apostolica Sede aut ab Episcoporum Conferentia demandato in territorio funguntur.

§ 2. Ad Concilia regionalia et provincialia vocari possunt alii Episcopi titulares in territorio degentes; qui ius habent suffragii deliberativi aut consultivi, prout id decernit Episcoporum Conferentia pro Concilio regionali, Metropolita una cum Episcopis suffraganeis pro Concilio provinciali.

§ 3. Ad Concilia particularia vocandi etiam sunt, ita tamen ut suffragio non gaudeant nisi consultivo:

1° Vicarii generales et Vicarii episcopales omnium in territorio Ecclesiarum particularium;

2° Moderatores maiores Institutum vitae consecratae numero tum pro viris tum pro mulieribus ab Episcoporum Conferentia aut a Provinciae Episcopis determinando, respective electi ab omnibus Moderatoribus maioribus Institutum vitae consecratae quae in territorio sedem habent;

3° Rectores Universitatum catholicarum atque Decani Facultatum S. Theologiae et SS. Canonum, quae in territorio sedem habent;

4° Rectores aliqui Seminariorum maiorum, numero ut in n. 2° determinato, electi a Superioribus Seminariorum quae in territorio sita sunt.

§ 4. Ad Concilia particularia vocari etiam possunt, ita tamen ut suffragio non gaudeant nisi consultivo, presbyteri ex utroque clero, sodales Institutum vitae consecratae alique christifideles, sive viri sive mulieres.

§ 5. Ad Concilia provincialia praeterea invitentur Capitula cathedralia, itemque Consilium presbyterale et Consilium pastorale uniuscuiusque Ecclesiae particularis cuius Ordinarius, ad normam § 1, vocari debet, ita quidem ut eorum singula duos ex membris mittant procuratores, collegialiter ab iisdem designatos; qui tamen votum habent tantum consultivum.

§ 6. Ad Concilia particularia, si id iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae expediat, quicumque alii ut hospites invitari valent.

Can. 194

§ 1. Omnes qui ad Concilia particularia convocantur, eisdem interesse debent, nisi iusto detineantur impedimento, de quo Concilii praesidem certiores facere tenentur.

§ 2. Qui ad Concilia particularia convocantur et in eis suffragium habent deliberativum, si iusto detineantur impedimento, procuratorem

mittant; qui procurator, si sit unus ex Patribus quibus est suffragium deliberativum, duplici voto non gaudet; si non sit, votum habet tantum consultivum.

Can. 195

Concilio regionali aut provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, in eo habentes suffragium deliberativum, licet discedere, nisi iustam ob causam, a Concilii Praeside probatam.

Can. 196

Concilium regionale et Concilium provinciale pro suo quoque territorio curant ut necessitatibus pastoralibus Populi Dei provideatur atque potestare gaudent regiminis, praesertim legislativa, ita ut, salvo semper iure universali Ecclesiae, decernere valeant quae ad fidei incrementum, ad actionem pastorem communem ordinandam et ad moderandos mores et disciplinam ecclesiasticam communem servandam, inducendam aut tuendam opportuna videantur.

Can. 197

Absolute Concilio regionali aut provinciali, praeses curet ut omnia acta Concilii ad Apostolicam Sedem transmittantur; decreta a Concilio edicta ne promulgentur nisi postquam ab Apostolica Sede recognita fuerint; ipsius Concilii est definire modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant.

Can. 198

Decreta Concilii regionalis aut provincialis legitime promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo; ab iisdem dispensare possunt locorum Ordinarii, sed iusta de causa et in casibus particularibus dumtaxat.

Art. II

DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

Can. 199

§ 1. Episcoporum Conferentia, quae quidem est institutum permanens, constituatur in singulis regionibus ecclesiasticis, in districtibus regionalibus intra regionem ecclesiasticam legitime erectis, atque in provinciis ecclesiasticis regioni ecclesiasticae non adscriptis.

§ 2. Episcoporum Conferentiae pro pluribus regionibus ecclesiasticis seu supraregionales ne constituentur, nisi approbante Apostolica Sede, cuius est pro singulis peculiare normas statuere.

Can. 200

§ 1. Ad Episcoporum Conferentiam ipso iure pertinent omnes in territorio regionis, districtus regionalis aut provinciae locorum Ordinarii, Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus exceptis, itemque Episcopi coadiutores, Episcopi auxiliares atque ceteri Episcopi titulares peculiari munere, sibi ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia demando, in eodem territorio fungentes; invitari quoque possunt eidem Ordinarii alterius ritus, ita tamen ut votum tantum consultivum habeant.

§ 2. Ceteri Episcopi titulares necnon Legatus Romani Pontificis non sunt de iure membra Episcoporum Conferentiae.

Can. 201

Quaelibet Episcoporum Conferentia sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus, praeter alia, ordinentur Conferentiae conventus plenarii habendi, et provideantur Concilium Episcoporum permanens et Secretaria generalis Conferentiae, atque alia etiam officia et Commissiones quae iudicio Conferentiae fini consequendo efficacius consulant.

Can. 202

§ 1. Quaelibet Episcoporum Conferentia sibi eligat Praesidem, determinet quinam, Praeside legitime impedito, munere Pro-praesidis fun-

gatur, atque Secretarium generalem Conferentiae constituat, ad normam statutorum Conferentiae.

§ 2. Praeses Conferentiae, atque eo legitime impedito Pro-praeses, non tantum Episcoporum Conferentiae conventibus generalibus, sed etiam consilio permanenti praest.

Can. 203

Conventus plenarii Episcoporum Conferentiae habeantur semel saltem singulis annis et praeterea quoties id postulent peculiaria adiuncta, secundum statutorum praescripta.

Can. 204

§ 1. Suffragium deliberativum in conventibus plenariis Episcoporum Conferentiae ipso iure competit Episcopis dioecesanis eisque qui iure ipsis aequiparantur necnon Episcopis coadiutoribus qui ad normam canonis 200, § 1 ad Conferentiam pertinent.

§ 2. Episcopis auxiliariis ceterisque Episcopis titularibus qui ad Episcoporum Conferentiam pertinent, suffragium competit deliberativum aut consultivum, iuxta statutorum Conferentiae praescripta.

Can. 205

§ 1. Decreta ab Episcoporum Conferentia in plenario conventu edicta vim legis habent dumtaxat, quae, in casibus in quibus ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, sive motu proprio sive ad petitionem ipsius Conferentiae datum, id statuerit, legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum voto deliberativo fruentium, prolata sint.

§ 2. Decreta, de quibus in § 1, vim obligandi non obtinent, nisi, ab Apostolica Sede recognita, legitime promulgata fuerint; modum promulgationis et tempus a quo decreta vim suam exserunt ab ipsa Episcoporum Conferentia determinantur.

§ 3. In casibus in quibus nec ius commune nec peculiare Apostolicae Sedis mandatum potestatem de qua in § 1 Episcoporum Conferen-

tiae concesserit, singulis Episcopis dioecesanis, pro sua quisque dioecesi, competit decisio, nec nomine omnium Episcoporum, Conferentia eiusve Praeses agere valent nisi omnes et singuli Episcopi consensum dederint.

Can. 206

Absoluto conventu plenario Episcoporum Conferentiae, libelli actorum a Praeside ad Apostolicam Sedem transmittantur, tum ut in eiusdem notitiam acta perferantur tum ut decreta, si quae sint, ab eadem recognosci valeant.

Can. 207

Decreta Episcoporum Conferentiae legitime edicta et promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo; ab iis dispensare possunt locorum Ordinarii, iusta de causa et in casibus particularibus tantum.

Can. 208

In singulis Episcoporum Conferentiis Consilium Episcoporum permanens constituatur, cuius est curare ut res in plenario conventu Conferentiae agenda praeparentur, et ut decreta in conventu plenario statuta debite executioni mandentur; eiusdem etiam est alia perficere, quae ipsi ad normam statutorum committuntur.

Can. 209

In singulis Episcoporum Conferentiis constituatur Secretaria Generalis, cuius est:

1° relationem componere omnium actorum et decretorum conventus plenarii Conferentiae necnon actorum Consilii Episcoporum permanentis, et eandem cum omnibus Conferentiae membris communicare, alia etiam acta conscribere, quae ipsi a Conferentiae praeside aut a Consilio permanenti componenda committuntur;

2° communicare cum Episcoporum Conferentiis finitimarum regionum acta et documenta quae a Conferentia in plenario conventu aut a Consilio Episcoporum permanente ipsis transmittenda statuuntur.

Can. 210

§ 1. Foveantur relationes inter Conferentias episcopales diversarum, praesertim finitimarum, regionum ad maius bonum promovendum ac tuendum.

§ 2. Quoties vero actiones aut rationes a Conferentiis ineuntur formam internationalem praeseferentes, Apostolica Sedes moneatur oportet.

Art. III

DE METROPOLITIS ET PRIMATIBUS

Can. 211 (CIC 271)

Patriarchae et Primatis titulus, praeter praerogativam honoris, nullam in Ecclesia latina secumfert regiminis potestatem, nisi quaedam iure particulari cum aliquo connexa sit.

Can. 212 (CIC 272)

Provinciae ecclesiasticae praest Metropolita, qui est Archiepiscopus dioecesis cui praeficitur; quod officium cum sede episcopali, Romano Pontifice determinante aut probante, coniunctum est.

Can. 213 (CIC 274)

§ 1. In dioecesibus suffraganeis Metropolitae competit:

1° vigilare ut fides et disciplina ecclesiastica accurate servantur, et de abusibus, si qui habeantur, Romanum Pontificem certiores facere;

2° canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit;

3° eos qui ad normam iuris ad officia ecclesiastica praesentantur aut eliguntur instituere aut confirmare, si Suffraganeus intra tempus iure statutum, iusto impedimento non detentus, id facere omiserit;

4° deputare Administratorem dioecesanum, ad normam can. 338, § 2;

5° appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivam vim habentibus, prolatis in curiis suffraganeis, ad normam can. (*De processibus*, can. 39, § 1);

6° controversias de quibus in can. (*De processibus*, can. 18, § 2), in prima instantia dirimere.

§ 2. Firmis praescriptis § 1, nulla alia in dioecesibus suffraganeis competit Metropolitae potestas regiminis; potest vero in omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Episcopo dioecesano praemonito, si ecclesia sit cathedralis, sacras exercere functiones, uti Episcopus in propria dioecesi.

Can. 214 (CIC 275)

§ 1. Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a recepta consecratione episcopali, aut, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica, per se aut per procuratorem a Romano Pontifice petendi pallium, quo quidem significatur potestas qua, in communione cum Ecclesia Romana, Metropolita in propria provincia iure instruitur.

§ 2. Ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, Metropolita illicite ponit actus tum potestatis regiminis metropolitanae tum ordinis episcopalis, quos ut caput provinciae exercet.

Can. 215 (CIC 277)

Metropolita, ad normam legum liturgicarum, pallio uti potest intra quamlibet ecclesiam, etiam exemptam, provinciae ecclesiasticae cui praeest, minime vero extra eandem, ne accedente quidem loci Ordinarii assensu.

Can. 216 (CIC 278)

Metropolita, si ad aliam sedem metropolitanam transferatur, novo indiget pallio.

CAPUT II
DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS ET DE AUCTORITATE
IN IISDEM CONSTITUTA

Art. I
DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

Can. 217

§ 1. Ecclesiae particulares sunt certae Dei populi portiones, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia Christi existit, videlicet Dioecesis, cui, nisi aliud constet, assimilatur Praelatura et Abbatia cum proprio populo christiano, Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica atque Administratio Apostolica stabiliter erecta.

§ 2. Ecclesiis particularibus in iure aequiparatur, nisi ex rei natura aut iuris praescripto aliud appareat, Praelatura personalis cui quidem competit clericos sibi incardinare qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio.

Can. 218

Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia.

Can. 219

§ 1. Dioecesi assimilantur Praelatura et Abbatia cum proprio populo, territorialiter quidem circumscripto, cuius cura, specialia ob adiuncta, committitur alicui Praelato aut Abbati, qui eum, ad instar Episcopi dioecesani, tanquam proprius eius pastor regat.

§ 2. Praelatura tamen cum proprio populo item haberi potest cum portio populi Dei, Praelati curae commissa, indolem habeat personalem, complectens nempe solos fideles speciali quadam ratione devinctos; huiusmodi sunt Praelaturae castrenses, quae Vicariatus castrenses quoque appellantur.

Can. 220

§ 1. Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica est certa populi Dei portio quae, ob peculiaria adiuncta, in dioecesim nondum est constituta quaeque pascenda committitur Vicario Apostolico aut Praefecto Apostolico, ut eam nomine Summi Pontificis regat.

§ 2. Administratio Apostolica est certa populi Dei portio, quae ob speciales et graves omnino rationes a Summo Pontifice in dioecesim non erigitur, et cuius cura pastoralis committitur Administratori Apostolico, qui eam nomine Summi Pontificis regat.

Can. 221

§ 1. Pro regula habeatur ut portio populi Dei quae Dioecesim aliamve Ecclesiam particularem constituat, certo territorio circumscribatur, ita ut omnes comprehendat fideles in territorio habitantes.

§ 2. Attamen, ubi de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id suadeat, in eodem territorio erigi valent Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae; item, ubi animarum cura id requirat, constitui valent Dioeceses vel Praelaturae complectentes omnes et solos fideles alia ratione quam ritu determinata devinctos in certo territorio habitantes, immo vel Praelaturae personales, nullo quidem territorio definitae.

Can. 222

§ 1. Quaelibet Dioecesis aliave Ecclesia particularis dividatur in distinctas partes seu paroecias; paroecia est fidelium communitas seu populi Dei pars, cuius cura pastoralis parrocho, tanquam proprio eius pastori, sub Episcopi dioecesani auctoritate, committitur.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroeciae solo territorio sint circumscriptae; attamen, quoties et quamdiu utilitas curae pastoralis id sua-

deat, erigi etiam valent paroeciae complectentes fideles ritu, natione, sermone aliave ratione determinatos in eadem civitate aut territorio degentes.

§ 3. Paroecias erigere, suppressere aut eas innovare unius est Episcopi dioecesanum, non autem Vicarii generalis aut Vicarii episcopalis sine speciali mandato; Episcopus dioecesanus paroecias ne erigat, aut suppressat, nec eas notabiliter innovet, nisi audito Consilio presbyterali.

§ 4. Paroeciae legitime erectae personalitate canonica ipso iure gaudent.

Can. 223

§ 1. Ut curae pastorali in paroeciis quam maxime provideatur, etiam per communem, ubi id expediat, diversarum paroeciarum actionem, plures paroeciae vicinae coniungantur in Vicariatus foraneos, qui etiam veniunt nomine decanatus vel archipresbyteratus, quibusque praesunt vicarii foranei, decani seu archipresbyteri; horum est actionem pastorem communem in territorio sibi commissio promovere ac moderari, atque paroeciis eiusdem territorii invigilare, ad normam iuris.

§ 2. Ubi, ob locorum vel temporum adiuncta, Vicariatus foranei de iudicio Episcopi dioecesanum, audito Consilio presbyterali, constitui non possunt, dioecesis dividi potest in partes territoriales, quibus singulis praeficiatur Vicarius episcopalis.

§ 3. Vicariatus foraneos constituere, suppressere aut innovare, secundum necessitates actionis pastorales, pertinet ad Episcopum dioecesanum, audito Consilio presbyterali.

Can. 224

Ubi utilitas curae pastorales id suadeat, diversi vicariatus foranei ab Episcopo dioecesano, audito item Consilio presbyterali, componantur in maiores districtus, qui districtus dioecesanum appellantur, quibus praefici possunt Vicarii episcopales.

Art. II

DE EPISCOPIS

§ 1. *De Episcopis in genere*

Can. 225

§ 1. Episcopi, qui ex divina institutione in Apostolorum locum succedunt, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, in Ecclesia Pastores constituuntur, ut sint et ipsi doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri.

§ 2. Episcopi ipsa consecratione episcopali recipiunt cum munere sanctificandi, munera quoque docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exercere possunt.

Can. 226

§ 1. Hoc suum episcopale munus Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent, ad magisterium et regimen pastorale quod attinet, omnes uniti in Collegio seu corpore, quoad universam Ecclesiam.

§ 2. Illud exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae particularis sibi commissae curam gerens, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam iuris.

Can. 227

Episcopi sunt aut *dioecesani*, quibus scilicet alicuius cura commissae est, aut *titulares*, quibus nempe dioecesis non est concredita, sed qui officium coadiutoris vel auxiliaris in certa dioecesi explent aut alia munia in bonum sive alicuius portionis Populi Dei sive diversarum Ecclesiarum particularium sive etiam universae Ecclesiae adimplent.

Can. 228

§ 1. Episcopos libere nominat Summus Pontifex, aut legitime electos confirmat.

§ 2. De viris ecclesiasticis ad Episcopatus officium in proprio territorio aptioribus, communi consilio et secreto, quotannis agant singulae Episcoporum Conferentiae regionum ecclesiasticarum, elencho quidem nominum ab Episcopis dioecesanis singularum provinciarum ecclesiasticarum regionis proposito, itemque Episcoporum Conferentiae provinciarum ecclesiasticarum quae alicui regioni non sunt adscriptae, atque nomina virorum delectorum Apostolicae Sedi transmittant; ubi adiuncta id suadeant, de licentia Sanctae Sedis eundem elenchum constituent Episcopi dioecesani provinciae ecclesiasticae.

§ 3. Nisi aliter pro certis regionibus legitime provisum fuerit, quoties nominandus est Episcopus dioecesanus aut Episcopus coadiutor, Episcopi dioecesani provinciae ecclesiasticae in qua sita est dioecesis de qua agitur elenchum componant trium saltem virorum ecclesiasticorum qui ad hoc officium episcopale magis idonei videantur, illumque Apostolicae Sedi transmittant; quem elenchum ut componant, Episcopi dioecesani provinciae, si id expedire iudicent, de necessitatibus dioecesis deque dotibus specialibus personae ad officium episcopale in ea dioecesi implendum requisitis certorum presbyterorum, et laicorum sapientia praestantium, secreto sententiam exquirere possunt.

§ 4. Nisi aliter legitime provisum fuerit, Episcopus dioecesanus qui auxiliarem suae dioecesi dandum aestimet, elenchum proponat trium saltem presbyterorum ad hoc officium aptiorum; quem elenchum, si tantummodo nomina contineat virorum ab Episcoporum Conferentia ad normam § 2 probata, ad Apostolicam Sedem transmittat; si alia nomina complectatur, eundem Sedi Apostolicae transmittat addita provinciae ecclesiasticae Episcoporum dioecesanorum sententia.

§ 5. Nulla in posterum iura et privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis Episcoporum civilibus auctoritatibus conceduntur.

Can. 229

§ 1. Episcopus officium sibi commissum assumit missione canonica, qua quidem sacra quam episcopali consecratione recepit potestas ad officium sibi concreditum implendum fit expedita.

§ 2. Antequam canonicam possessionem sui officii capiat, promotus fidei professionem emittat de qua in can. (*De Ecclesiae munere docendi*, can. 85) atque iusiurandum fidelitatis erga Apostolicam Sedem edat, secundum formulam ab eadem Apostolica Sede probatam.

Can. 230

§ 1. Ut quis idoneus ad officium Episcopi habeatur, requiritur ut sit:

1° bona exsistimatione gaudens;

2° annos natus saltem triginta quinque;

3° a quinquennio saltem in presbyteratus ordine constitutus;

4° firma fide, bonis moribus, pietate, animarum zelo, sapientia, prudentia et iis quoque quas homines magni faciunt virtutibus humanis excellens, ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiunt ad officium de quo agitur explendum;

5° laurea doctoris vel saltem licentia in Sacra Scriptura, Sacra Theologia aut Iure Canonico potitus in Instituto Studiorum a Sede Apostolica probato, vel saltem in iisdem disciplinis vere peritus.

§ 2. Iudicium definitivum de promovendi idoneitate ad Apostolicam Sedem pertinet.

Can. 231

Nisi legitimo detineatur impedimento, quicumque ad Episcopatum promotus debet intra tres menses ab acceptis apostolicis litteris consecrationem episcopalem recipere, et quidem antequam officii sui possessionem capiat.

*Can. 232*⁴⁷

§ 1. Praeter facultatem deferendi insignia episcopalia a momento promotionis, omnes Episcopi, a recepta consecratione, si quidem in

⁴⁷ Cfr. M. P. *Pastorale munus*, d. 11 nov. 1963.

communione hierarchica sunt cum Collegii Capite et membris, facultate gaudent:

1° Verbum Dei ubique terrarum praedicandi, ad normam can. (*De Ecclesiae munere docendi*, can. 12, § 1);

2° confessiones fidelium ubique terrarum audiendi, ad normam can. (*De Sacramentis*, can. 137, § 1);

3° fideles quoslibet ubique absolvendi in actu sacramentalis confessionis a censuris latae sententiae non declaratis, Apostolicae Sedi non reservatis;

4° Sanctissimam Eucharistiam in suo sacello domestico asservandi ad normam cann. (*De Sacramentis*, cann. 99, nn. 3 et 102, §§ 2 et 4-5).

§ 2. A momento praeterea canonice captae dioecesis possessionis Episcopi dioecesani sequentibus gaudent facultatibus, quas tamen aliis, praeter quam Episcopis Coadiutori et Auxiliariis delegare non possunt, nisi id iisdem expresse dicatur:

1° prorogandi, ex iusta causa, sed non ultra mensem, legitimum usum rescriptorum seu indultorum, quae ab Apostolica Sede concessa fuerint et expiraverint, quin tempestive preces pro eorum prorogatione ad eandem Apostolicam Sedem missae sint: facta tamen obligatione statim ad ipsam recurrendi pro gratia aut, si petitio iam facta fuerit, pro responsione obtinenda;

2° concedendi facultatem sacerdotibus visivae potentiae debilitate laborantibus, omnino caecis, vel alia infirmitate detentis, Missam votivam Deiparae Virginis aut defunctorum cotidie celebrandi, adhibita, semper pro caecis pro aliis autem quoties ea indigeant, alterius sacerdotis vel diaconi assistentia;

3° concedendi sacerdotibus infirmis aut aetate provectis facultatem Missam celebrandi domi, ad normam can. (*De Sacramentis*, can. 96, § 2) et cum licentia sedendi, si stare non possint;

4° concedendi confessariis scientia et prudentia conspicuis, facultatem fideles quoslibet absolvendi in actu sacramentalis confessionis a censuris latae sententiae non declaratis, Apostolicae Sedi non reservatis;

5° dispensandi, iusta de causa, super ordinandorum defectu aetatis, qui sex integros menses non excedat, servatis praescriptis can. (*De Sacramentis*, can. 219);

6° dispensandi pro iam ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi, quam consequendi et retinendi officia ecclesiastica, super quibuscumque irregularitatibus tum ex delicto, tum ex defectu provenientibus, ad normam can. (*De Sacramentis*, cann. 224-225), dummodo exinde scandalum ne oriatur et dummodo altaris ministerium rite expleatur, exceptis tamen iis de quibus in can. (*De Sacramentis*, can. 225, nn. 2-3) et praevia abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis;

7° commutandi, ob visivae potentiae debilitatem aut aliam causam, eaque durante, Officium divinum in cotidianam recitationem saltem tertiae partis rosarii B. Mariae Virginis vel aliarum precum;

8° ingrediendi, iusta de causa, intra clausuram pontificiam monasteriorum monialium, quae sita sunt in sua dioecesi, et permittendi, iusta et gravi de causa, ut alii in clausuram admittantur, ac moniales ex ipsa egrediantur ad tempus vere necessarium;

9° dimittendi e dioecesi, urgente gravissima causa, sodales singulos Institutorum vitae consecratae, si eorum Moderator maior monitus prospicere neglexerit, re tamen ad Sanctam Sedem statim delata.

§ 2. De Episcopis dioecesanis

Can. 233

§ 1. Episcopus dioecesanus, cui nempe alicuius Ecclesiae particularis cura commissa est, in communione hierarchica cum Capite et membris Collegii Episcoporum, tanquam proprius, ordinarius et immediatus eius pastor, populum sibi concreditum in nomine Domini pascit, munus docendi, sanctificandi et regendi in eum exercens, ad normam iuris.

§ 2. Episcopis dioecesanis iure aequiparantur, nisi ex rei natura aliud appareat, qui praesunt aliis communitatibus fidelium de quibus in can. 217.

Can. 234

§ 1. Episcopus promotus in exercitio officii sibi commissi, neque per se neque per alios, nec ullo titulo, sese ingerere potest, nisi prius dioecesis canonicam possessionem ceperit; qui vero ante suam ad officium Episcopi dioecesani promotionem, in eadem dioecesi Administrator dioecesanus, officialis, oeconomus fuerit renuntiatus, haec officia retinet et exercere potest; item, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, qui ante promotionem suam Episcopus auxiliaris in eadem dioecesi fuerit, potestates et facultates, quibus uti Vicarius generalis aut episcopalis, instructus fuit ad normam can. 264, § 2, retinet et exercere potest.

§ 2. Nisi legitimo detineatur impedimento, promotus ad officium Episcopi dioecesani debet canonicam suae dioecesis possessionem capere, si non iam sit consecratus Episcopus intra quattuor menses a receptis apostolicis litteris, si iam sit consecratus intra duos menses ab eisdem receptis.

§ 3. Canonicam dioecesis possessionem capit Episcopus, simul ac in ipsa dioecesi, per se vel per procuratorem, apostolicas litteras Collegio consultorum de quo in can. 316 aut, ubi Capitulo cathedrali competat ius eligendi aut praesentandi Episcopum, Collegio consultorum una cum Capitulo cathedrali in unum collegium coadunatis ostenderit, praesente cancellario Curiae, qui rem in acta referat, aut, in dioecesibus noviter erectis, simul ac clero populoque in ecclesia cathedrali praesenti earundem litterarum communicationem procuraverit, presbytero inter praesentes seniore acta referente.

Can. 235

Episcopo dioecesano in dioecesi sibi commissi per se omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, quae ad exercitium eius muneris pastoralis requiritur, iis exceptis in causis quae ipso iure aut particulari Summi Pontificis decreto supremae aut alii auctoritati ecclesiasticae reserventur.

Can. 236

§ 1. In exercendo suo munere pastoris, Episcopus dioecesanus sollicitum se praebeat erga omnes christifideles qui suae curae committun-

tur, cuiusvis sint aetatis, conditionis vel nationis, tum in territorio habitantes tum in eodem ad tempus versantes, animum intendens apostolicum ad eos qui ob vitae suae conditionem ordinaria cura pastoralis non satis frui valent necnon eos qui a religionis praxi defecerunt.

§ 2. Erga fratres seiunctos in dioecesi versantes cum humanitate et caritate se gerat, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, prout adiuncta id suadeant, fovens.

§ 3. Commendatos sibi in Domino habeat non baptizatos, ut et ipsis caritas eluceat Christi, cuius coram omnibus testis esse debet Episcopus.

Can. 237

Peculiari sollicitudine prosequatur presbyteros suos, ad quos audiendos semper se paratum ostendat, eorum iura tutetur et curet ut ipsi obligationes suo statui proprias rite adimpleant atque ut ipsis praesto sint quibus ad vitam spiritualem et intellectualem fovendam egent media et institutiones; item ut, attentis praescriptionibus can. (« De iure Ecclesiae patrimoniali », can. 16), eorundem honestae sustentationi atque adsistentiae sociali prospiciatur.

Can. 238

Vocationes sacerdotales et ad Instituta vitae consecratae quam maxime foveat, speciali cura vocationum missionarium adhibita.

Can. 239

§ 1. Episcopus dioecesanus, quippe qui fidelium suae curae commissorum authenticus sit fidei doctor et magister, ipsis veritates fidei credendas et moribus applicandas proponere et illustrare tenetur, per se ipse frequenter praedicans, utcumque doctrinam aliis quae praesto sunt mediis et instrumentis promovens; curet etiam ut praescripta canonum de ministerio verbi, de homilia praesertim et catechetica iuvenum institutione sedulo servantur, ita ut universa doctrina christiana omnibus tradatur.

§ 2. Cum omnium Ecclesiarum una cum ceteris Episcopis sit sponsor, adiutricem operam praestare tenetur ut verbum Dei omnibus gentibus nuntietur.

§ 3. Integritatem et unitatem fidei credendae aptioribus mediis firmiter tueatur, iustam libertatem tamen in veritatibus ulterius perscrutandis agnoscens, nec quaestiones de quibus periti legitime inter se dissentiunt dirimens.

Can. 240

Episcopus dioecesanus omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium, secundum uniuscuiusque propriam vocationem atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter adnitatur ut christifideles suae curae commissi Sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant.

Can. 241

§ 1. Episcopus dioecesanus post captam dioecesis possessionem, debet singulis diebus dominicis aliisque diebus festis in sua regione de praecepto, Missam pro populo sibi commissio applicare.

§ 2. Episcopus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Episcopus cui praeter propriam dioecesim aliae, titulo etiam administrationis, sunt commissae, obligationi satisfacit unam Missam pro universo populo sibi commissio applicando.

§ 4. Episcopus qui obligationi de qua in §§ 1-3 non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

Can. 242

§ 1. Episcopus dioecesanus invigilare debet ut vita liturgica in Ecclesia sibi commissio quam maxime foveatur, atque ordinetur secundum praescripta Apostolicae Sedis atque Episcoporum Conferentiae regionis.

§ 2. Frequenter praesit in ecclesia cathedrali aliave ecclesia suae dioecesis cultui liturgico, praecipue Eucharistico, in festis praesertim de praecepto aliisque sollemnitatibus in quibus partem habet notabilis populi pars.

Can. 243

Episcopus dioecesanus in universa sua dioecesi, ne exemptis quidem locis exceptis, pontificalia exercere potest; non vero extra propriam dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto Ordinarii loci consensu.

Can. 244

§ 1. Episcopo dioecesano officium est et ius regendi Ecclesiam particularem sibi commissam tum in spiritualibus tum in temporalibus, ad normam iuris.

§ 2. Ipsi omnis competit quae ad regimen dioecesis exercendum requiritur potestas, tum legislativa, tum executiva et iudicialis, iis exceptis in causis quae ad normam iuris auctoritati Ecclesiae supremae aliive auctoritati reservantur.

§ 3. Potestatem legislativam exercet ipse Episcopus sive in Synodo dioecesana sive extra eandem; potestatem executivam exercet sive per se sive per Vicarios generales aut episcopales, ad normam iuris; potestatem iudicalem sive per se sive per Vicarium iudicalem et iudices ad normam iuris constitutos.

Can. 245

§ 1. Ecclesiae universae unitatem cum tueri debeat, Episcopus disciplinam cunctae Ecclesiae communem promovere et ideo observantiam omnium legum ecclesiasticarum urgere tenetur.

§ 2. Advigilet ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa ministerium verbi, administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum.

Can. 246

§ 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus tam universalibus quam particularibus a suprema Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, quae bonum spirituale fidelium directe intendunt, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. (« De normis generalibus », can. 91) auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmis praescriptis canonum (« De normis generalibus », cann. 87, § 2 et 90) et salvo praescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in hisce legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctoritati specialiter reservatur.

Can. 247

In omnibus negotiis iuridicis dioecesis Episcopus eiusdem personam gerit.

Can. 248

§ 1. Episcopus dioecesanus, attentis normis ab Apostolica Sede et ab Episcoporum Conferentia statutis, in dioecesi erigat Consilium presbyterale et, quantum adiuncta id sinant, etiam Consilium pastorale, iuxta normas canonum 326-329.

§ 2. Episcopi est curare ut actiones Consilii presbyteralis, Consilii pastoralis atque aliorum quae legitime in dioecesi constituentur consiliorum rite coordinentur.

Can. 249

§ 1. Varias apostolatus rationes in dioecesi foveat Episcopus, atque curet ut, servatis quidem personarum physicarum et iuridicarum iuribus propriis, in universa dioecesi, vel in eiusdem particularibus districtibus, omnia apostolatus opera sub suo moderamine coordinentur.

§ 2. Urgeat officium quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua cuiusque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendet

ut varia opera laicorum apostolatus, secundum necessitates loci et temporis, participant et iuvent.

Can. 250

Consociationes fidelium quae finem spirituales directe aut indirecte persequuntur promoveat, eas, ubi id expediat, erigendo, atque quas fideles libera inter se conventionem inita legitime condunt et moderantur fovendo et sustinendo.

Can. 251

Curet etiam ut omnia incepta atque instituta catechetica, missionaria, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastorem persequentia, servata quidem uniuscuiusque propria indole, ad concordem redigantur actionem.

Can. 252

§ 1. Episcopus dioecesanus, etiamsi coadiutorem aut auxiliarem habeat, tenetur lege personalis in dioecesi residentiae.

§ 2. Praeterquam causa visitationis Sacrorum Liminum, vel Conciliorum, Episcoporum Synodi, Episcoporum Conferentiae, quibus interesse debet, aliusve officii sibi legitime commissi, a dioecesi aequa de causa abesse potest non ultra mensem, sive continuum sive intermissum, dummodo cautum sit ne ex eius absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat; absentiam coniungere non potest sive cum absentia ratione suae promotionis vel visitationis Sacrorum Liminum, vel adistentiae Concilio, Synodo aut Conferentiae, sive cum absentia vacationis causa anni subsequentis.

§ 3. A dioecesi ne absit diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini et Hebdomadae Sanctae, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi urgentique causa.

§ 4. Si ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerit, Episcopum Metropolita, ad normam can. 213, § 1, 1°, Metropolitam antiquior suffraganeus Sedi Apostolicae denuntiet.

Can. 253

§ 1. Ad sanam et orthodoxam doctrinam servandam, bonos mores tuendos et pravos corrigendos, caritatem, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam, apostolatum fovendum, ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenetur Episcopus obligatione dioecesis vel ex toto vel ex parte quotannis visitandae, ita ut singulis saltem quinquenniis universam dioecesim, vel ipse per se, vel, si legitime fuerit impeditus, per Episcopum coadiutorem, aut per auxiliarem, aut per Vicarium generalem vel episcopalem, aut per alium presbyterum lustret.

§ 2. Fas est Episcopo sibi eligere quos maluerit clericos in visitatione comites atque adiutores, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine.

§ 3. Si obligationi de qua in § 1 Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can. 213, § 1, 2°.

Can. 254

§ 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, instituta catholica, res et loca pia, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem ipsis a visitatione exemptionem ab Apostolica Sede fuisse concessam.

§ 2. Sodales Institutorum vitae consecratae iuris pontificii eorumque domos Episcopus visitare potest in casibus tantum iure expressis.

Can. 255

Visitor, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, paterna forma procedere debet, et ab eius praeceptis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum, in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam iuris procedat necesse est.

Can. 256

Studeat Episcopus debita cum diligentia pastorem visitationem absolvere; caveat ne superfluis sumptibus cuiquam gravis onerosusve

sit, neve ratione visitationis ipse aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petat aut accipiat, reprobata quavis contraria consuetudine.

Can. 257

§ 1. Omnis Episcopus dioecesanus tenetur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici exhibere super statu dioecesis sibi commissae, secundum formam ab Apostolica Sede definitam.

§ 2. Quinquennia sunt fixa, atque pro Episcopis singularum regionum ecclesiarum ab Apostolica Sede determinata.

§ 3. Si annus pro exhibenda relatione determinatus ex toto vel ex parte inciderit in primum biennium ab initio dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.

Can. 258

§ 1. Omnis Episcopus dioecesanus, eo anno quo relationem Summo Pontifici exhibere tenetur, nisi aliter ab Apostolica Sede decisa fuerit, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturus, accedat et Romano Pontifici se sistat.

§ 2. Episcopus praedictae obligationi per se ipse satisfaciat, nisi legitime sit impeditus; quo in casu eidem statuto tempore satisfaciat per coadiutorem, si quem habeat, vel auxiliarem, aut per idoneum sacerdotem sui presbyterii, qui in sua dioecesi resideat.

Can. 259

§ 1. Episcopi dioecesani alique ipsis iure aequiparati, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint debent renuntiationem ab officio exhibere Summo Pontifici, qui, omnibus singulorum casuum inspectis adiunctis, providebit.

§ 2. Enixe rogantur Episcopi dioecesani, qui ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio suo adimplendo minus apti evaserint, ut vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant.

Can. 260

§ 1. Episcopus, cuius renuntiatio ab officio acceptata fuerit, titulum emeriti suae dioecesis retinet, atque habitationis sedem aliquam, si id exoptet, in ipsa dioecesi servare potest, nisi certis in casibus ob specialia adiuncta ab Apostolica Sede aliter provideatur.

§ 2. Episcoporum Conferentia regionis curare debet ut congruae et dignae Episcopi renuntiantis sustentationi provideatur, attenta quidem primaria obligatione qua tenetur ipsa dioecesis cui inservivit.

§ 3. De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus

Can. 261 (CIC 350)

§ 1. Cum pastorales necessitates dioecesis id suadeant, si nempe ob dioecesis amplitudinem magnumve incolarum numerum, aut ob peculiaris apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigit bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, petente Episcopo dioecesano, constituentur; Episcopus auxiliaris iure successionis non gaudet.

§ 2. Cum peculiaris id requirat dioecesis necessitas, gravioribus scilicet in adiunctis, etiam indolis personalis, Episcopus dioecesanus votum Apostolicae Sedi mittere curet ut sibi detur Episcopus auxiliaris specialibus instructus facultatibus.

§ 3. Ob peculiares de quibus in § 2 aliasve rationes, si magis opportunum id ipsi videatur, Sancta Sedes ex officio constituere potest Episcopum coadiutorem, qui et ipse specialibus instruitur facultatibus, et iure successionis donari potest.

Can. 262 (CIC 353)

§ 1. Episcopus coadiutor, si iure successionis gaudeat, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Collegio consultorum de quo in can. 316 aut, ubi Capitulo cathedrali competat ius eligendi vel praesentandi Episcopum, Collegio consultorum una cum Ca-

pitulo cathedrali, in unum collegium coadunatis, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens, itemque Episcopus auxiliaris, officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 3. Quod si Episcopus dioecesanus plene sit impeditus sufficit ut tum Episcopus coadiutor tum Episcopus auxiliaris litteras apostolicas nominationis ostendant soli collegio ad normam § 1.

Can 263 (CIC 351, §§ 1 et 2)

Episcopus coadiutor, itemque Episcopus auxiliaris, obligationes et iura habent quae determinantur praescriptis canonum qui sequuntur; praeterea Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris de quo in can. 261, § 2, obligationes et iura habent quae in litteris suae constitutionis definiuntur, Episcopo dioecesano in universo dioecesis regimine adstant, atque eodem absente vel impedito eius vices supplent.

*Can 264*⁴⁸

§ 1. Episcopus coadiutor, item Episcopus auxiliaris de quo in can. 261, § 2, ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis semper constituatur; insuper ipsi prae aliis Episcopus dioecesanus committat, quae ex iure mandatum speciale requirant.

§ 2. Nisi in litteris apostolicis aliud provisum fuerit et firmo praescripto § 1, Episcopus dioecesanus auxiliarem vel auxiliares suos constituat Vicarios generales vel saltem Vicarios episcopales, a sua, aut Episcopi coadiutoris vel Episcopi auxiliaris de quo in can. 261, § 2, auctoritate, dumtaxat dependentes.

Can. 265 (novus)

§ 1. Ut quam maxime praesenti et futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus dioecesanus atque Episcopus auxiliaris de quo in can. 261, § 2 vel coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulant.

⁴⁸ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 26.

§ 2. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopos auxiliares prae aliis consulere velit.⁴⁹

§ 3. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, quippe qui in partem sollicitudinis Episcopi dioecesanī vocati sint, munia sua ita exercent ut concordī cum ipso opera et animo procedant.⁵⁰

Can. 266 (CIC 351, §§ 3-4)

§ 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, obligantur ut, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obeant, ad quas Episcopus dioecesanus teneretur.

§ 2. Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor aut auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus dioecesanus habitualiter alii ne committat.

Can. 267 (CIC 355)

§ 1. Vacante sede episcopali, Episcopus coadiutor iure successionis gaudens statim evadit Episcopus dioecesis pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit ad normam can. 262, §§ 1 et 3.

§ 2. Vacante sede episcopali, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, Episcopus coadiutor iure successionis non gaudens itemque Episcopus auxiliaris, usquedum novus Episcopus possessionem sedis ceperit, omnes et solas servat potestates et facultates quibus sede plena, tamquam Vicarius generalis vel tanquam Vicarius episcopalis, gaudebat; quod si ad munus Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesanī non fuerit designatus, eandem suam potestatem, a iure quidem collatam, exercent sub auctoritate Administratoris apostolici aut Administratoris dioecesanī, qui regimini dioecesis praeest.

⁴⁹ Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 26.

⁵⁰ Decr. *Christus Dominus*, n. 25.

Can. 268 (CIC 354)

Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris obligatione tenentur, sicut et ipse Episcopus dioecesanus, residendi in dioecesi; a qua, praeterquam alicuius officii extra dioecesim implendi ratione aut vacationis causa, nonnisi ad breve tempus, Episcopo dioecesano consentiente, discedant.

Can. 269 (novus)

§ 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quod attinet, applicatur praescriptum can. 259, § 2.

§ 2. Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam suo officio adimplendo minus aptus evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adiunctis et audito Episcopo dioecesano, providebit.

§ 3. Episcopo coadiutori et auxiliari, quorum renuntiatio ab officio acceptata fuerit, applicatur praescriptum can. 260.

Art. III

DE SYNODO DIOECESANA

Can. 270 (CIC 356, § 1)

Synodus dioecesana est coetus in quo conveniunt aliqui ex Ecclesiae particularis presbyterio delecti necnon et eiusdem quidam alii christifideles, qui in bonum totius communitatis dioecesanae adiutricem praestent operam proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo dioecesano, et ad quam pertinet de iis quae ad propriam missionem propriasque utilitates eiusdem Ecclesiae particularis referuntur agere causis, ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 271 (CIC 356, §§ 1 et 2)

§ 1. Synodus dioecesana in singulis Ecclesiis particularibus celebretur decimo saltem quoque anno; si tamen, iudicio Episcopi dioe-

sani, adiuncta id suadeant, eius celebratio differri potest, non vero ultra viginti ab anteacta celebratione annos.

§ 2. Si Episcopus plurium dioecesium aequè principaliter unitarum curam habet aut unius curam habet uti Episcopus proprius, alterius vero uti administrator, unam tantum Synodum dioecesanam ex omnibus dioecesibus sibi commissis convocare potest.

Can. 272 (CIC 357)

§ 1. Synodum dioecesanam convocat solus Episcopus dioecesanus non autem qui ad interim dioecesi praesunt, de quibus in cann. 331 et 337.

§ 2. Synodo dioecesanae praest Episcopus dioecesanus, non vero, sine speciali mandato, Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis.

Can. 273 (CIC 358)

§ 1. Ad Synodum dioecesanam vocandi sunt eamque participandi obligatione tenentur:

- 1° Vicarii generales et Vicarii episcopales;
- 2° Canonici ecclesiae cathedralis;
- 3° membra Consilii presbyteralis;
- 4° christifideles etiam laici, sive viri sive mulieres, ut delegati Consilii pastoralis, ab eodem Consilio eligendi, modo et numero ab Episcopo dioecesano determinandis, aut, ubi hoc Consilium non exstet, aliqui christifideles designandi ratione ab eodem Episcopo determinata;
- 5° Rector Seminarii dioecesani maioris;
- 6° Vicarii foranei;
- 7° unus saltem presbyter ex unoquoque Vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habeant; item eligendus est alius presbyter qui, eodem impedito, eius locum sufficiat;
- 8° aliqui Moderatores Institutorum vitae consecratae, sive virorum sive mulierum, quae in dioecesi domum habent, eligendi numero et modo ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano determinatis.

§ 2. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano vocari possunt alii quoque, sive clerici sive Institutorum vitae consecratae sodales, sive christifideles laici, viri aut mulieres; quibus, perinde ac iis de quibus in § 1, ius suffragii consultivi in omnibus causis competit, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.

§ 3. Ad Synodum dioecesanam ab Episcopo dioecesano, si id opportunum duxerit, invitari possunt uti observatores aliqui ministri aut sodales ecclesiarum communitatumve ecclesialium quae in plena non sunt cum Ecclesia catholica communione.

Can. 274 (CIC 359)

Qui Synodo interesse debet, si legitimo detineatur impedimento, non potest mittere procuratorem qui eius nomine eidem intersit; Episcopum vero dioecesanum de eodem impedimento certiores faciat.

Can. 275 (CIC 360)

§ 1. Episcopus dioecesanus, opportuno ante Synodi celebrationem tempore, unam aut plures constituat commissiones, quarum est res in Synodo tractandas apparare; quae commissiones constare possunt clericis necnon laicis peritis.

§ 2. Curet Episcopus dioecesanus ut, tempore ante Synodi celebrationem opportuno, omnibus qui convocati sunt quaestionum tractandarum schema tradatur.

Can. 276 (CIC 361)

Propositae quaestiones omnes liberae adstantium disceptationi, praesidente quidem per se aut per alium Episcopo dioecesano, in Synodi sessionibus subiiciantur.

Can. 277 (CIC 362)

Unus in Synodo dioecesana legislator est Episcopus dioecesanus, aliis voto tantummodo consultivo gaudentibus; unus ipse synodalibus declarationibus et decretis subscribit, quae eius auctoritate tantum publici iuris fieri possunt.

Can. 278 (CIC 362)

Quae modo per Episcopum determinato promulgentur decreta, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

Can. 279 (novus)

Episcopus dioecesanus textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicet cum Apostolica Sede; de iisdem praeterea Metropolitanam necnon episcoporum Conferentiam regionis certiores reddat.

Can. 280 (novus)

§ 1. Episcopo dioecesano competit pro suo prudenti iudicio Synodum dioecesanam suspendere necnon dissolvere.

§ 2. Vacante sede episcopali, Synodus dioecesana ipso iure intermittitur, donec Episcopus dioecesanus qui succedit ipsam continuari decreverit aut eandem extinctam declaraverit.

Art. IV

DE CURIA DIOECESANA

CANONES GENERALES

Can. 281 (CIC 363)

Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praeest, opem praestant in regimine pastoralis universae dioecesis. Ad eam pertinent instituta et personae quae deputantur ut in actione pastoralis dirigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habent.

Can. 282 (CIC 364, § 1)

§ 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum; ut nominari possint debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam can. («De normis generalibus», can. 130).

Can. 283 (CIC 364 § 2)

Omnes qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem iure vel ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris.

3° secretum servare intra fines et secundum modum iure aut ab Episcopo determinatos.

Can. 284 (CIC 365)

De causis, atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, servantur praescripta cann. («De processibus», cann. 18-38); de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 285 (novus)

§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur, et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Moderator est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constituat Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam clericis ab ipso eligendis.

Can. 286 (novus)

§ 1. In unaquaque dioecesi ab Episcopo dioecesano nominetur Moderator Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 285, § 2, itemque curare ut ceteri Curiae addicti officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adiuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Moderator Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

Can. 287 (novus)

Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, et quidem ad validitatem, atque insimul a Curiae cancellario; qui vero cancellarius Moderatorem Curiae de actis certiores facere tenetur.

§ 1. De Vicariis generalibus et episcopalibus

Can. 288 (CIC 366)

§ 1. In unaquaque dioecesi constituendus est ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis, qui potestate ordinaria ad normam canonum qui sequuntur instructus ipsum in universae dioecesis regimine adiuvet.

§ 2. Pro regula generali habeatur ut unus constituatur Vicarius generalis, nisi dioecesis amplitudo vel incolarum numerus aut aliae rationes pastorales aliud suadeant.

Can. 289

Quoties rectum dioecesis regimen id requirat, insuper constitui possunt ab Episcopo dioecesano unus vel plures Vicarii episcopales, qui nempe aut in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus certive personarum coetus, eadem gaudent potestate ordinaria quae iure communi Vicario generali competit ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 290

§ 1. Vicarius generalis et episcopalis libere ab Episcopo dioecetano nominantur et ab ipso libere revocari possunt, salvo praescripto can. 264; Vicarius episcopalis, qui non sit Episcopus auxiliaris, nominetur tantum ad tempus, in ipso constitutionis actu determinandum.

§ 2. Vicario generali vel episcopali absente vel legitime impedito, Episcopus dioecetanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat.

Can. 291

§ 1. Vicarius generalis et episcopalis sint sacerdotes annos nati non minus triginta, in iure canonico aut theologia doctores vel licentiati, vel saltem earum disciplinarum vere periti, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendati.

§ 2. Vicarius generalis sit sacerdos saecularis, quatenus possibile sit ipsius dioecesis pro qua constituitur, nisi vera necessitas aliud postulet; attamen, in dioecesi, quae alicui Instituto vitae consecratae aut clericorum Societati commissa fuerit, Vicarius generalis et episcopalis possunt eligi eiusdem Instituti aut Societatis sacerdotes.

§ 3. Vicarius episcopalis item eligatur sacerdos saecularis dioecesis pro qua constituitur; attamen, qui pro certo negotiorum genere, aut pro personis determinati ritus vel coetus constituitur, si id expedire videatur, potest etiam eligi sacerdos in dioecesi non incardinatus.

§ 4. Vicarii generalis et episcopalis munus componi non potest cum munere canonici paenitentiarum; neque committatur hoc munus consanguineis Episcopi usque ad quartum gradum nec, seclusa necessitate, iis qui insimul munere parochi aliusve eidem aequiparati funguntur.

Can. 292

§ 1. Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competit, in spiritualibus ac in temporalibus, potestas executiva quae ad Episcopum dioecetantum iure ordinario pertinet, ad ponendos, scilicet omnes actus administrativos, iis tamen exceptis quos Episcopus sibi reservaverit vel qui ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

§ 2. Vicario episcopali ipso iure eadem competit potestas de qua in § 1, sed quoad determinatam territorii partem aut negotiorum genus aut in fideles determinati ritus aut coetus tantum, pro quibus constitutus est, iis causis exceptis quas Episcopus sibi aut Vicario generali reservaverit, aut quae ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum.

§ 3. Ad Vicarium generalem atque ad Vicarium episcopalem, intra ambitum suae competentiae, pertinent etiam facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo concessae, necnon rescriptorum executio, nisi aliud expresse cautum fuerit aut electa fuerit industria personae Episcopi dioecisani.

Can. 293

§ 1. Vicarius generalis et Vicarius episcopalis praecipua negotia et gerenda et gesta Episcopo dioecisano referre debent, nec umquam contra voluntatem et mentem Episcopi dioecisani agant, firmiter praescripto can. («De normis generalibus», can. 63, § 3).

§ 2. Ut concordi actioni pastoralis in universa dioecesi atque disciplinae in eadem unitati prospiciatur, Vicarii generales et Vicarii episcopales frequenter cum illo Vicario generali qui Moderator est Curiae instituant colloquium, modis ab Episcopo dioecisano statutis.

Can. 294

§ 1. Expirat potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalis renuntiatione ad normam cann. («De normis generalibus», cann. 163-165), itemque, salvo cann. 264 et 267, revocatione eidem ab Episcopo dioecisano intimata et Sedis episcopalis vacatione.

§ 2. Suspenso munere Episcopi dioecisani suspenditur potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalis, nisi episcopali dignitate aucti sint.

§ 2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali

Can. 295 (CIC 372)

§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in

Curiae archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii seu secretarii Curiae.

Can. 296 (CIC 373)

§ 1. Praeter cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae causae aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici; in causis tamen quibus fama sacerdotis in discrimen vocari possit, debet esse sacerdos.

Can. 297 (CIC 374)

Officium notariorum est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 298 (CIC 373, §§ 4-5)

Cancellarii alique notarii libere ab officio removeri possunt ab Episcopo dioecesano, non autem ab Administratore dioecesano, nisi de consensu Collegii consultorum de quo in can. 316.

Can. 299 (CIC 375)

§ 1. Omnia quae dioecesim vel paroeciam respiciunt documenta maxima cura custodiri debent.

§ 2. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

§ 3. Documentorum quae in archivo continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can. 300 (CIC 377)

§ 1. Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et cancellarius; nemini licet illud ingredi nisi de Episcopi aut Moderatoris Curiae et cancellarii licentia.

§ 2. Ius est iis quorum interest ut documentorum, quae natura sua sunt publica quaeque ad statum suae personae pertinent, documentum authenticum scriptum vel photostaticum per se vel per procuratorem recipiant.

Can. 301 (CIC 378)

§ 1. Ex archivo non licet efferre documenta, nisi ad breve tempus tantum atque de Episcopi aut Moderatoris Curiae et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat.

Can. 302 (CIC 379)

§ 1. Sit Curiae dioecesanae aliud archivum, aut saltem in communi archivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, in quo scilicet documenta secreto servanda cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente.

Can. 303 (CIC 380-382)

§ 1. Archivi secreti clavem habeant tantummodo Episcopus et cancellarius aut pro opportunitate alius sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Administratore dioecetano eiusve delegato.

§ 3. Ex archivo vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 304 (CIC 383)

§ 1. Curet Episcopus dioecetanus ut acta et documenta archivorum quoque ecclesiasticorum cathedralium, collegiarum, paroecialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum diligenter servantur atque inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servantur.

§ 2. Acta et documenta de quibus in § 1 ut inspiciantur aut efferantur servantur normae ab Episcopo dioecetano statutae.

§ 3. De examinadoribus dioecetanis

Can. 305 (CIC 385-390)

§ 1. In quavis dioecesi constituentur examinadores dioecetani, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in processibus de quibus in cann. (« De processibus », cc. 436-449).

§ 2. Examinadores dioecetani ad quinquennium eligantur a Consilio presbyterali inter sacerdotes ab ipso Episcopo propositos.

§ 3. Examinadores dioecetani ab Episcopo a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, audito Consilio presbyterali, aestimandam.

§ 4. *De Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo*

Can. 306 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus constituatur Consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica necnon in iure civili vere peritis et integritate praestantibus, sive laicis sive clericis, quorum unus saltem membrum sit Consilii presbyteralis, ab Episcopo, attentis quidem normis ab Episcoporum Conferentia statutis, nominatis.

§ 2. Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra Consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt.

§ 3. A Consilio administrationis excluduntur personae quae cum Episcopo primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniunctae sunt.

Can. 307 (novus)

Praeter munera ipsi commissa in Titulis III et IV de iure patrimoniali Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo dioecesis regimine anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

Can. 308 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus ab Episcopo, auditis Collegio consultorum de quo in can. 316 atque Consilio a rebus oeconomicis, nominetur oekonomus, qui sit, sive clericus sive laicus, in re oeconomica vere peritus et probitate prorsus praestans.

§ 2. Oekonomus nominetur ad quinquennium, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante munere ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditis Collegio consultorum atque Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam.

§ 3. Oekonomi est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, bona dioecesis sub auctoritate Episcopi administrare,

ex quaestu dioecesis constituto expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso deputati legitime ordinaverint.

§ 4. Anno vertente, oekonomus Consilio a rebus oeconomicis rationem accepti et expensi reddere debet.

Art. V

DE CONSILIO PRESBYTERALI ET DE COLLEGIO CONSULTORUM

Can. 309

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium repraesentans, cuius est Episcopum in regimine universae dioecesis consiliis adiuvere, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilium presbyterale constat solis sacerdotibus eique praeest Episcopus dioecesanus.

Can. 310

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo dioecetano probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

Can. 311

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° congrua eorum pars libere eligatur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecetano integrum est aliquos libere nominare.

Can. 312

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul aut in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, aut in bonum dioecesis officium aliquod adimplent;

2° sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon sacerdotes sodales alicuius Instituti vitae consecratae, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent aut officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

Can. 313

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita maxime diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

Can. 314

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo tantum: audiendum vero est in causis quae iure universali expresse determinantur aut quae, iudicio ipsius Episcopi dioecesanī, regimen generale dioecesis respiciunt; unius autem Episcopi dioecesanī est causas dirimere et decisiones ferre.

§ 2. In causis tamen, in quibus Consilio presbyterali votum deliberativum concesserit sive ius universale sive, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis, ipse Episcopus dioecesanus, idem Episcopus ut decisiones ferat consensu eget eiusdem Consilii.

§ 3. Consilium presbyterale nusquam agere valet sine Episcopo dioecesano, cuius etiam solius cura divulgari possunt quae ad normam §§ 1 aut 2 statuta sunt.

Can. 315

§ 1. Consilium presbyterale constituatur ad tempus, in statutis determinandum, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale cessat eiusque munera implentur a Collegio consultorum de quo in can. 316; intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere.

§ 3. Si Consilium presbyterale munus sibi in bonum dioecesis commissum non amplius adimpleat aut eodem graviter abutatur, Episcopus dioecesanus, audito quidem Collegio Consultorum, illud dissolvere potest, sed intra annum debet illud noviter constituere.

Can. 316

§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano libere nominantur aliqui sacerdotes, numero non minori quam sex nec maiori quam duodecim, qui Collegium consultorum ad quinquennium constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Collegio consultorum praeest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior.

Art. VI

DE CANONICORUM CAPITULIS

Can. 317

Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est sacerdotum collegium, cuius est functiones liturgicas sollemniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; Capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae ipsi ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur.

Can. 318 (CIC 391-392)

§ 1. Capitulum canonicorum cathedrale ubi exstet servetur, et erigatur in dioecesibus in quibus id expediat.

§ 2. Capituli tum cathedralis, tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio Sedi Apostolicae reservatur.

Can. 319 (CIC 410)

Unumquodque Capitulum, sive cathedrale sive collegiale, sua habeat statuta, per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioecesano probata; quae statuta ne mutantur aut abrogentur, nisi approbante eodem Episcopo dioecesano.

Can. 320

§ 1. Statutorum Capituli, salvis semper foundationis legibus, est ipsam Capituli constitutionem et numerum canonicorum determinare; definire quaenam a Capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus Capituli negotia aguntur atque, salvis quidem iuris communis praescriptis, condiciones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requisitas.

§ 2. In statutis etiam definiantur quaenam sint canonicorum insignia atque emolumenta, tum stabilia tum occasione perfuncti muneris solvenda.

Can. 321

§ 1. Inter canonicos habeatur qui Capitulo praesit, atque alia etiam constituentur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita traditionis in regione vigentis.

§ 2. Clericis qui non sunt canonici, qui quidem ad Capitulum non pertinent, committi possunt alia officia, quibus, ad normam statutorum, canonicis auxilium praebent.

Can. 322 (CIC 401, § 1)

Paenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure facultatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi in foro sacramentali a censuris latae sententiae non declaratis, Apostolicae Sedi non reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis.

Can. 323

§ 1. Episcopi dioecesani, audito Capitulo, non autem Administratoris dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopalis, est omnes et sin-

gulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revocato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

§ 2. Canonicatus Episcopus dioecesanus conferat tantum sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus, qui laudabiliter ministerium pastorale exercuerunt.

Can. 324 (CIC 415)

§ 1. Capitulo canonicorum ne amplius uniantur paroeciae; quae unitae alicui Capitulo exstent, ab Episcopo dioecesano a Capitulo separantur.

§ 2. In ecclesia, quae simul sit paroecialis et capitularis, instituatur parochus, sive inter capitulares delectus, sive non; qui parochus omnibus obstringitur officiis, atque gaudet iuribus et facultatibus quae ad normam iuris propria sunt parochi.

§ 3. Episcopi dioecesani est certas statuere normas, quibus officia pastoralia parochi atque munera Capitulo propria debite componantur, quibusque prospiciatur ne parochus capitularibus nec Capitulum paroecialibus functionibus impedimento sit; conflictus, si quidam habeantur, dirimat Episcopus dioecesanus, qui imprimis curet ut fidelium necessitatibus pastoralibus debite prospiciatur.

§ 4. Quae ecclesiae, insimul paroeciali et capitulari, conferantur eleemosynae, praesumuntur datae paroeciae, nisi aliud constet.

Can. 325

§ 1. Episcoporum Conferentiae regionis est iudicare de opportunitate instituendi in dioecesibus territorii canonicos ad honorem, qui, si haberi possint, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris Apostolici aut dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopalis est, audito quidem Capitulo, eosdem, sive dioecesanos sive extra-dioecesanos, nominare, numero autem tantum in statutis Capituli definito.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem ut nominet Episcopus dioecesanus, praeterquam ipsius Capituli, assensu eget Episcopi cuius nominandus est subditus; quo assensu deficiente, nominatio est irrita.

Art. VII

DE CONSILIO PASTORALI

Can. 326

In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituatur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 327

§ 1. Consilium pastorale constat christifidelibus qui in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, tum clericis, tum membris Institutorum vitae consecratae, tum laicis, quique designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Christifideles qui deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constituat revera configuretur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condiciorum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent.

§ 4. Ad Consilium pastorale ne deputentur nisi christifideles certa fide, bonis moribus et prudentia praestantes.

Can. 328

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis principiis ab Episcoporum Conferentia admissis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Can. 329

§ 1. Consilium pastorale, quod voto gaudet tantum consultivo, iuxta necessitates apostolatus convocare eique praeesse ad solum Episcopum dioecesanum pertinet.

§ 2. Saltem semel in anno convocetur.

Art. VIII

DE SEDE IMPEDITA ET DE SEDE VACANTE

§ 1. *De sede impedita*

Can. 330 (CIC 429, § 1)

Sedes episcopalis impedita intelligitur, si captivitate, relegatione, exsilio aut inhabilitate, Episcopus dioecesanus plane a munere pastoralis in dioecesi procurando praepediatur, ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare valens.

Can. 331 (CIC 429, §§ 1, 2 et 3)

§ 1. Sede impedita, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes providerit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, alicui Episcopo auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aliive sacerdoti, servato personarum ordine statuto in elencho, qui quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis saltem trienniis renovandus, a Cancellario sub secreto servandus atque insimul cum Metropolita communicandus est.

§ 2. Si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor atque elenchus de quo in § 1 non suppetat, Collegii consultorum, de quo in can. 316 est sacerdotem eligere, qui dioecesim regat.

§ 3. Qui dioecesis regimen, ad normam §§ 1 vel 2, susceperit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de suscepto munere.

Can. 332 (CIC 429, § 3)

Quilibet ad normam can. 331 vocatus ut ad interim dioecesis curam pastorem gerat, etiam si sit Episcopus coadiutor, pro tempore quo Sedes impeditur tantum, in cura pastoralis dioecesis exercenda tenetur obligationibus atque potestate gaudet quae iure Administratori dioecesano competunt.

Can. 333 (CIC 429, § 5)

Si Episcopus dioecesanus poena ecclesiastica a munere exercendo prohibeatur, Metropolita, eoque deficiente aut si de eodem agatur, antiquior promotione inter suffraganeos, ad Sanctam Sedem statim recurrat, ut ipsa provideat, firmo praescripto can. 331.

§ 2. *De sede vacante*

Can. 334 (CIC 430, § 1)

Sedes episcopalis vacat Episcopi dioecesani morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.

Can. 335 (CIC 430, § 2)

Vim habent omnia quae gesta sunt a Vicario generali aut Vicario episcopali, usque dum certam de obitu Episcopi dioecesani notitiam acceperint, itemque quae ab Episcopo dioecesano aut a Vicario generali vel episcopali gesta sunt, usque dum certam de memoratis actibus pontificiis notitiam receperint.

Can. 336 (CIC 430, § 3)

§ 1. A certa translationis notitia, Episcopus intra duos menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusque canonicam possessionem assumere ad normam can. 234, § 3, et a die captae possessionis dioecesis novae, dioecesis *a qua* plene vacat.

§ 2. A certa translationis notitia usque ad canonicam novae dioecesis possessionem, Episcopus translatus in dioecesi *a qua*:

1° Administratoris dioecesani potestatem obtinet eiusdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii generalis et Vicarii episcopalis potestate, salvo tamen can. 267, § 2;

2° honorifica Episcoporum dioecesanorum privilegia retinet;

3° integros percipit fructus mensae episcopalis, ad normam can. (De normis generalibus, can. 167, § 2).

Can. 337 (CIC 431)

Sede vacante, regimen dioecesis, usque ad Constitutionem Administratoris dioecisani, ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint ad eorum promotione antiquiorem, atque deficiente Episcopo auxiliari ad Moderatorem Curiae devolvitur regimen dioecesis, nisi tamen a Sancta Sede aliter provisum fuerit; qui ita regimen dioecesis assumit sine mora convocet collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens.

Can. 338 (CIC 432)

§ 1. Intra octo dies ab accepta vacationis sedis episcopalis notitia, Administrator dioecisani, qui nempe dioecesim ad interim regat, eligendus est a Collegio consultorum; in dioecesibus vero in quibus iure electionis aut praesentationis Episcopi instituendi gaudet Capitulum cathedrale, ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum in unum collegium coadunatis, moderante in hoc casu qui praeest Capitulo.

§ 2. Si intra praescriptum tempus Administrator dioecisani, quavis de causa, non fuerit legitime electus, eiusdem deputatio devolvitur ad Metropolitam, et si vacans sit ipsa Ecclesia metropolitana aut metropolitana simul et suffraganea, ad Episcopum suffraganeum promotione antiquiorem.

Can. 339 (CIC 432, § 4)

Episcopus auxiliaris, et, si deficiat, Moderator Curiae quantocius de morte Episcopi, itemque electus in Administratorem dioecesanum de sua electione Sedem Apostolicam certiores faciant.

Can. 340 (CIC 433)

§ 1. Unus deputetur Administrator dioecisani, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Administrator dioecisani ne insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

Can. 341

Administrator dioecesanus eligatur ad normam cann. (*De normis generalibus*, cc. 139-156), et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis; electio ut valeat, ab electo acceptari debet.

Can. 342 (CIC 434)

§ 1. Valide ad munus Administratoris dioecesani deputari tantum potest sacerdos, qui trigesimum quintum aetatis annum expleverit, et ad eandem vacantem sedem non fuerit iam electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. In Administratorem dioecesanum eligatur sacerdos qui sit doctrina et prudentia praestans.

§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitaе fuerint, Metropolita, aut, si ipsa Ecclesia metropolitana vacans fuerit, Episcopus suffraganeus promotione antiquior, agnita rei veritate, Administratorem pro ea vice deputet; actus autem illius contra praescripta § 1 electi sunt ipso iure nulli.

Can. 343 (CIC 435, § 1)

Qui, sede vacante, Episcopus auxiliaris aut Moderator Curiae, ante deputationem Administratoris dioecesani, dioecesim regat, potestate gaudet quam ius Vicario generali agnoscit.

Can. 344 (CIC 435)

§ 1. Administrator dioecesanus ipso iure tenetur obligationibus et gaudet potestate Episcopi dioecesani, iis exclusis quae rei natura aut ipso iure excipiuntur.

§ 2. Administrator dioecesanus, ipsa acceptata electione si fidei professionem de qua in can. (*De Ecclesiae munere docendi*, can. 85) ediderit, statim potestatem de qua in § 1 obtinet, quin requiratur ullius confirmatio.

Can. 345 (CIC 435, § 3)

Illi qui ad interim dioecesis regimen curant vetantur quidpiam agere quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; in specie prohibentur ipsi, atque perinde alii quicumque, tum Collegii consultorum membra tum extranei, quominus sive per se sive per alium Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahant vel destruant, aut in iis quaedam immutent.

Can. 346 (CIC 436)

Sede vacante nihil innovetur.

Can. 347 (CIC 440)

Administrator dioecesanus obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 241.

Can. 348 (CIC 443)

§ 1. Administratoris dioecesani remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio quae fiat, authentica forma exhibenda est Collegio ad electionem competenti ad normam can. 338, § 1, a quo tamen, ut valeat, acceptari non debet; remoto aut renuntiante Administratore dioecesano, aut eodem defuncto, alius eligatur Administrator dioecesanus ad normam can. 338.

§ 2. Cessat praeterea munus Administratoris dioecesani per captam a novo Episcopo dioecesis possessionem ad normam can. 234, § 3.

Art. IX

DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

Can. 349 (novus)

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur sacerdoti, paroeciae parochi, eiusdem pastori proprio.

§ 2. Ubi tamen adiuncta id requirant, paroeciae aut diversarum insimul paroeciarum cura pastoralis committi potest pluribus in solidum

sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorundem unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 3. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem constituat aliquem qui, potestate parochi gaudens, uti proprius paroeciae pastor curam pastorem moderetur.

Can. 350 (novus)

Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, audito Consilio presbyterali, id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia definita ratione determinatae.

Can. 351 (novus)

Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralis populi sibi concrediti defungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eodem populo munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus etiam ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

Can. 352 (CIC 451, §§ 2-3)

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia secundum normas ab Ordinario loci stabilitas curam pastorem pro tempore exercet.

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universali vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisve peculiaribus personarum coetibus constitutos quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis.

*Can. 353 (CIC 452)*⁵¹

§ 1. Persona iuridica parochus ne esto; Episcopus autem dioecesanus, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopalis, potest, de consensu competentis Moderatoris, paroeciam committere Instituto vitae consecratae Societative clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut Societatis eam erigendo, ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus, aut, si cura pastoralis pluribus in solidum committatur, moderator, de quo in can. 349, § 2.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 fieri potest sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conventionem scripta inter Episcopum dioecesanum et competentem Moderatorem Instituti vel Societatis inita, qua, inter alia expresse et accurate definiantur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant.

Can. 354 (CIC 453)

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universali sive particulari requiruntur.

Can. 355 (CIC 454)

Qui in paroecia pastoralis curae praeficitur qua paroeciae parochus, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Conferentia regionis, per decretum ad normam can. 205 editum, permissum fuerit.

Can. 356 (CIC 455-456)

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochum competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

⁵¹ Cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33, § 1.

§ 2. Parochum libere nominat Episcopus dioecesanus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare vicarium foraneum consulat et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastorem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. Salvo iure particulari salvisque conventionibus legitime inter Episcopum dioecesanum et Moderatorem competentem Instituti vitae consecratae aut clericorum Societatis initis, ad paroeciam alicui sodali Instituti aut Societatis concedendam, sive paroecia Instituto Societative commissa sit ad normam can. 353 sive non, idem Moderator secundum Constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut Societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

Can. 357 (CIC 455, § 2)

Sede vacante aut impedita ad normam cann. 330 et 334, ad Administratorem dioecesanum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

1° vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 377-382;

2° institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Moderatore ad normam can. 356, § 3;

3° parochos nominare, si sedes ab anno vacaverit aut impedita sit.

Can. 358 (CIC 458)

Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecesanus providere ad normam can. (*De normis generalibus*, can. 125), nisi peculiariora locorum aut personarum adiuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem officii paroecialis differendum suadeant.

Can. 359 (CIC 459)

§ 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat quem, omnibus perpensis adiunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptione seclusa.

§ 2. Ut quis ad officium parochi promoveatur, oportet ut, modo ab Episcopo dioecesano determinato, studia frequentaverit de doctrina christiana deque muneribus parochi propriis, atque per examen cui subiicitur de eius habilitate ad hoc officium implendum habeatur probatio, nisi in casu particulari aliunde de eiusdem habilitate certo constet.

Can. 360 (CIC 460)

§ 1. Parochus ad normam can. (*De normis generalibus*, can. 126) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen sacerdotum aut alia adiuncta possunt, saltem pro tempore, quaedam paroeciae ab Episcopo dioecesano aequae principaliter uniri.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus aut moderator ad normam can. 349, § 2, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

Can. 361 (CIC 461)

§ 1. Qui ad curam pastorem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capiendae, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. (*De Ecclesiae munere docendi*, can. 85, n. 6).

§ 2. Parochum in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio paroeciae communicata locum tenet captae possessionis.

§ 3. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod paroeciae possessio capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declaret, ad normam can. (*De normis generalibus*, can. 170, § 1, 4°).

Can. 362 (CIC 467, 468, 469)

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut integrum verbum Dei in paroecia sibi commissae degentibus annuntietur; quare curet ut christifideles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia

diebus dominicis et festis in regione de praecepto habenda, ad normam can. (*De Ecclesiae munere docendi*, can. 19) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cann. (*De Ecclesiae munere docendi*, cann. 23; 25; 28, § 1 et 31), utque opera foveat quibus in universis actionibus suis spiritu evangelico imbuantur; atque omni ope satagat, adsociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profitentur.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitime petentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS. Eucharistiae necnon Paenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscie et actuose partem habeant in Sacra Liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani, parochus in paroecia moderari debet et in qua abusus ne irreperant invigilare tenetur.

Can. 363 (CIC 462)

Functiones ab ipso parrocho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente exercendae, praeter alias iure particulari determinatas, sunt sequentes:

- 1° administratio forma sollemniori baptismi;
- 2° Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3° administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. (*De Sacramentis*, can. 42, n. 2);
- 4° administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvis normis pro Institutis vitae consecratae probatis, atque apostolicae benedictionis impertitio;
- 5° denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta; assistentia matrimoniis et benedictio nuptiarum;
- 6° persolutio funerum;
- 7° benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum, sabbato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;

8° fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processionum extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;

9° celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus dominicis et festis de praecepto.

Can. 364 (CIC 464)

§ 1. In omnes suae curae pastoralis commissos parochus obligatione tenetur curam animarum exercendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates personarum, aedificia et locos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exempta, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere.

Can. 365 (CIC 463)

Licet paroeciale quoddam officium alius expleverit, oblationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis a christifidelibus recepti ad massam paroecialem deferat, nisi de contraria offerentis voluntate constet quoad oblationes plene voluntarias; Episcopo dioecesano, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus destinationi harum oblationum necnon remunerationi sacerdotum idem ministerium implentium provideatur.

Can. 366 (novus)

In omnibus negotiis iuridicis parochus personam gerit paroeciae, ad normam iuris; curet ut bona paroeciae administrentur ad normam cann. (*De iure Ecclesiae patrimoniali*, cann. 25-33).

Can. 367 (CIC 465)

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope ecclesiam; in casibus tamen particularibus, si iusta adsit causa, Ordinarius permittere potest ut alibi commoretur, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo paroecialium perfunctioni munerum rite apteque sit provisum.

§ 2. Nisi gravis obstet ratio, parocho, vacationis gratia, licet quotannis a paroecia abesse per unum ad summum mensem continuum aut

intermissum; quo in tempore vacationis dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat; parochus autem, ut ultra hebdomadam a paroecia absit, tenetur de hoc Ordinarium monere.

§ 3. Episcopi dioecesani est normas statuere quibus prospiciatur ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitis facultatibus instructum.

Can. 368 (CIC 466)

§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de praecepto Missam pro populo sibi commissio applicandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

§ 2. Parochus qui plurium paroeciarum curam habet, diebus de quibus in § 1, unam tantum Missam pro universo sibi commissio populo applicare tenetur.

§ 3. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1 et 2 non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet, quot omiserit.

Can. 369 (CIC 470)

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, alique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus ut iidem libri, servatis eorundem praescriptis, accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, eo quo fieri possit modo, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium pertinent statum canonicum, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. (*De Sacramentis*, can. 327), ratione adoptionis, itemque ratione suscepti ordinis sacri, professionis in Instituto vitae consecratae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documento accepti baptismi semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; testimonia quae de statu canonico christifidelium dantur, sicut et acta omnia quae momentum habere possunt iuridicum ab ipso parrocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciali muniantur.

§ 5. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales custodiantur, una cum Episcoporum epistulis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato, visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 6. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta.

Can. 370 (novus)

§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parrocho facta et, ut valeat, ab eodem Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 355 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Instituti aut Societatis Moderatore ad normam constitutionum competenti; eundem amovere debet, id requirente eodem Moderatore, qui vero nec ipse rationem sui iudicii Episcopo aperire tenetur, salvo quidem recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 3. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo dioecesano, qui, omnibus personae et loci inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

Can. 371 (novus)

§ 1. Cum vacat paroecia aut cum parochus ratione captivitatis, exsilii vel relegationis, inhabilitatis vel infirmae valetudinis aliusve cau-

sae a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur, a loci Ordinario quamprimum nominetur, aut ad normam can. 356, § 3, instituat, administrator paroecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem suppleat ad normam can. 372.

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo absentia parochi ultra mensem sit duratura.

Can. 372 (novus)

§ 1. Vacante paroecia itemque parochus ob rationes de quibus in can. 371, § 1, a munere pastoralis exercendo prorsus impedito, administrator paroecialis iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parochus ratione inhabilitatis infirmaeque valetudinis a munere explendo pro parte impedito, aut ad normam can. 371, § 2, absente, administrator paroecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

§ 4. Administrator paroecialis post expletum munus, eiusdem parochus rationem reddat.

Can. 373 (novus)

§ 1. Vacante paroecia itemque parochus a munere pastoralis exercendo penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorundem nominatione antiquior; atque, si vicarii desint, parochus a iure particulari definitus.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpserit, loci Ordinarius de paroeciae vacatione statim certiores faciat.

Can. 374 (novus)

Sacerdotes quibus in solidum, ad normam can. 349, § 2, alicuius paroeciae aut diversarum insimul paroeciarum cura pastoralis committitur necnon eorundem coetus moderator:

1° ut nominentur instituanturve, praediti sint oportet qualitatibus de quibus in can. 354, servatis quoque praescriptis can. 359;

2° nominentur vel instituantur ad normam praescriptorum cann. 355, 356, 357, nn. 2° et 3°, necnon, ad moderatorem quod spectat, praescripti can. 360, § 2;

3° curam pastorem paroeciae aut diversarum paroeciarum sibi commissarum obtinent tantum a momento captae possessionis; eorundem moderator in possessionem mittitur ad normam praescriptorum can. 361, § 2; pro ceteris vero coetus sacerdotibus quibus, ducente moderatore, insimul cura pastoralis concreditur, fidei professio legitime facta locum tenet captae possessionis.

Can. 375 (novus)

§ 1. Sacerdotes quibus in solidum cura pastoralis alicuius paroeciae aut diversarum insimul paroeciarum, sub moderamine eorum unius, committatur, singuli, iuxta ordinationem ab iisdem, sub ductu moderatoris, stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in cann. 362 et 363; potestas tamen matrimoniis assistendi ordinaria sicuti et facultates omnes dispensandi ipso iure paroco concessae uni competunt moderatori, qui vero curare debet ut eadem potestates et facultates in bonum animarum rite exerceri valeant ideoque per opportunas delegationes providere debet ut eiusdem coetus sacerdotes exercitium illarum potestatum et facultatum opportuna ratione participant.

§ 2. Sacerdotes omnes coetus de quibus in § 1:

1° obligatione tenentur residentiae, ad normam can. 367;

2° tenentur in solidum ad Missam pro populo sibi commissio applicandam, ad normam can. 368, licet eorum unus tantum, secundum ordinationem ab ipsis stabilitam, eandem obligationem adimplere debeat.

§ 3. Solus moderator coetus sacerdotum de quo in § 1 obligatione tenetur habendi, conscribendi et servandi libros paroeciales aliisque officiis de quibus in can. 369; solus item moderator in negotiis iuridicis personam gerit paroeciae aut paroeciarum coetui commissarum.

Can. 376 (novus)

§ 1. Ad cessationem ab officio sacerdotum coetus de quo in can. 374, quod attinet, applicentur praescripta can. 370.

§ 2. Cum cesset ab officio aliquis sacerdos coetus de quo in can. 374, aut coetus moderator aut cum eorundem aliquis ad normam can. 371, § 1, inhabilis fiat qui munus pastorale exerceat, non vacat paroecia vel paroeciae quarum cura coetui committitur; Episcopi autem dioecesani est alium nominare moderatorem; antequam vero ab Episcopo alius constituatur, hoc munus adimplebit eiusdem coetus sacerdos nominatione antiquior.

Art. X

DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 377 (CIC 476, §§ 1-2)

§ 1. Ubi ad pastorem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parochi adiungi possunt unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui, tanquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, communi cum parochi consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate, operam in ministerio pastoralis praestent.

§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastoralis explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro determinata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, sive etiam ut operam impendat ad certum ministerium in diversis insimul determinatis paroeciis persolvendum.

Can. 378 (novus)

§ 1. Ut quis valide in vicarium paroecialem constituatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque probitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastorem erga populum de quo agitur idonee participandam requiruntur.

Can. 379 (CIC 476, §§ 3-4)

§ 1. Sacerdotem clero dioecesano adscriptum libere vicarium paroecialem nominat loci Ordinarius, audito parrocho aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano.

§ 2. Ad sodalem Instituti vitae consecratae aut clericorum societatis vicarium constituendum quod attinet, moderator Instituti aut Societatis secundum ius proprium competens eum praesentat loci Ordinario, cuius est, servato praescripto § 1, eum instituere.

Can. 380 (CIC 476, § 6)

§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura praeterquam canonibus huius tituli statutis dioecesanis necnon litteris loci Ordinarii definiuntur, magis autem in specie parochi commissione determinantur.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris loci Ordinarii caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio explendo adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro populo, atque si res ferat ad normam iuris, parochi vicem supplendi.

§ 3. Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat, ut parochus et vicarius aut vicarii, concordii semper voluntate et coniunctis viribus, pastoralis curae providere valeant paroeciae, cuius insimul sunt sponsores.

Can. 381 (novus)

Nisi aliter loci Ordinarius providerit, ad normam can. 367, § 3 parrocho absente aut impedito, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultatibus et iuribus in his quae ad curam pastorem pertinent, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus et, si plures sint, eorum nominatione antiquior; qui quidem omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo.

Can. 382 (CIC 476, § 5)

§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia, aut si pro diversis simul paroeciis constitutus est in earum aliqua, residendi, secundum praescripta statutorum dioecesis vel probatas consuetudines

aut Episcopi dioecisani praescriptum; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut alibi resideat, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne pastoralium perfunctio munerum exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius, ad normam can. 140 ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi id fieri possit, provehatur.

§ 3. Ad tempus vacationis quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus, ad normam can. 367, § 2.

Can. 383 (novus)

Oblationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles faciunt ad massam paroecialem deferat vicarius paroecialis, nisi de contraria offerentis voluntate constet quoad oblationes plene voluntarias; Episcopo dioecisano, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus destinationi horum oblationum necnon remunerationi singulorum sacerdotum idem ministerium implentium provideatur.

Can. 384 (CIC 477, § 1)

Vicarius paroecialis e clero seculari ab Episcopo dioecisano aut Administratore dioecisano, non autem a Vicario generali aut episcopali, sine speciali mandato, amoveri potest, iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem aequitate servata; vicarius paroecialis sodalis alicuius Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum amoveri potest ad normam can. 370, § 2.

Art. XI

DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Can. 385 (CIC 445)

§ 1. Vicarius foraneus, qui et decanus vel archipresbyter vocatur est sacerdos qui vicariatui foraneo seu decanatu, de quo in can. 223, ab Episcopo dioecisano praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi, munera expleat in canonibus quae sequuntur definita.

§ 2. Vicarius foraneus nominatur ab Episcopo dioecesano auditis pro suo prudenti iudicio sacerdotibus in vicariatu de quo agitur ministerium implentibus.

Can. 386 (CIC 446)

§ 1. Ad officium vicarii foranei, quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur, Episcopus seligat sacerdotem quem, inspectis loci ac temporis adiunctis, ad munera de quibus in can. 385 exercenda idoneum iudicaverit, et quidem sive aliquem parochum vicariatus foranei seu decanatus sive sacerdotem qui officio parochi non fungitur.

§ 2. Vicarius foraneus nominetur ad certum tempus, iure particulari determinatum.

§ 3. Vicarium foraneum iusta de causa, pro suo prudenti arbitrio, Episcopus dioecesanus ab officio libere amovere potest.

Can. 387 (CIC 477-448)

§ 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei legitime tribuunt Concilium particulare vel Episcoporum Conferentia, Synodus dioecesana vel Episcopus dioecesanus, atque attentis normis ab iisdem statutis, officium et ius est potissimum:

1° universa quae ad pastorem actionem studia et incepta in Vicariatu foraneo sibi commissio suscipiunt clerici, sodales Institutorum vitae consecratae et laici, promovendi, moderandi et coordinandi;

2° prospiciendi ut sacerdotes alique clerici sui districtus vitam ducant proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant, catecheticaque institutionem ad normam cann. (*De Ecclesiae munere docendi*, cann. 23; 25; 28 § 1 et 31) tradant, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque legem residentiae servent;

3° providendi ut sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia Sanctissimi Sacramenti, accurate serventur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In Vicariatu sibi concredito Vicarius foraneus:

1° fraterna sollicitudine prosequatur presbyteros aliosque qui ministerio sese devovent, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur;

2° operam det ut presbyteri aliique clerici, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, ad normam can. 139, intersint;

3° curet ut presbyteris aliisque clericis sui districtus subsidia spiritualia praesto sint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia non desint, atque maxime sollicitus sit de iis sacerdotibus qui in difficilioribus versantur circumstantiis aut problematibus anguntur, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet Vicarius foraneus ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra supellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Vicarius foraneus obligatione tenetur secundum determinationem ab Episcopo dioecesano factam, sui districtus paroecias visitare.

Can. 388 (CIC 449)

Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, Vicarius foraneus de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastorali in eodem expleta et prospecta, necnon de condicionibus votisque presbyterorum aliorumque qui in territorio sibi concredito ministerio sese devovent Episcopo dioecesano rationem reddat.

Can. 389 (CIC 450, § 1)

Vicariatus foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.

Art. XII

DE ECCLESIARUM RECTORIBUS

Can. 390 (CIC 479)

§ 1. Ecclesiarum rectores hic intelliguntur sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitalis Instituti vitae consecratae aut clericorum Societatis, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano sodalium mulierum necnon virorum laicalis Instituti vitae consecratae, aliusve legitimae christifidelium consociationis, servantur particularium canonum praescripta; cappellani vero est universas quae in ecclesia cui praeest celebrentur liturgicas functiones moderari atque prospicere ut nihil in ecclesia fiat sanctitati loci contrarium.

Can. 391 (CIC 480)

§ 1. Ecclesiae rector libere nominatur a loci Ordinario, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu loci Ordinarii est rectorem confirmare vel instituere.

§ 2. Etiam si ecclesia pertineat ad aliquod Institutum vitae consecratae exemptum, Ordinario loci competit rectorem a Moderatore praesentatum instituere.

§ 3. Rector ecclesiae, quae coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, est Superior Seminarii vel collegii, nisi aliter Ordinarius constituerit.

Can. 392 (CIC 481)

Salvo can. 115 functiones paroeciales in ecclesia sibi commissa rectori peragere non licet, nisi consentiente aut, si res ferat, delegante parrocho.

Can. 393 (CIC 482)

Potest rector in ecclesia sibi commissa divina officia etiam sollemnia celebrare, salvis legitimis foundationis legibus, atque dummodo

non noceant ministerio paroeciali; in dubio utrum eisdem detrimento sint necne, loci Ordinarii est rem dirimere et opportunas quibus videntur normas praescribere.

Can. 394 (CIC 483)

Ubi id opportunum ipsi videatur potest loci Ordinarius rectori praecipere ut determinatas in ecclesia sua pro populo celebret functiones etiam paroeciales, necnon ut Ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis.

Can. 395 (CIC 484)

§ 1. Sine rectoris aliasve legitimi Superioris licentia, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, Sacramenta administrare aliasve sacras functiones peragere; quae vero licentia detur aut denegetur ad normam iuris.

§ 2. Ad verbi Dei praedicationem in ecclesia quod attinet, servantur praescripta cann. (*De Ecclesiae munere docendi*, cann. 11-24).

Can. 396 (CIC 485)

Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae functiones secundum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrentur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo non congruat.

Can. 397 (CIC 486)

Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, loci Ordinarius ex iusta causa, pro suo prudenti arbitrio ab officio amovere potest; quod si rector sit sodalis Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum, servetur, ad eius amotionem quod attinet, praescriptum can. 370, § 2.

SECTIO III
DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE
PER PROFESSIONEM CONSILIORUM EVANGELICORUM

In hac sectione inveniuntur canones 398-522 Libri Secundi novi CIC. Hi canones prostant in schemate « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum » consultationi iam submisso.

SECTIO IV
DE CHRISTIFIDELIBUS LAICIS

CAPUT I
DE OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS CHRISTIFIDELIUM LAICORUM

Can. 523

In canonibus huius capituli, nomine laicorum intelleguntur omnes christifideles, praeter eos qui per receptum ordinem sacrum, ad divinum ministerium sunt deputati aut alicuius Instituti vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum sunt sodales.

Can. 524

§ 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, ad laborandum ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Peculiari adstringuntur officio, unusquisque quidem secundum propriam condicionem, ut rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuant atque perficiant, et ita specialiter in iisdem rebus gerendis atque in muneribus saecularibus exercendis Christi testimonium reddant.

Can. 525

Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas quae omnibus competit; in iis tamen rebus agendis, legem divinam, uti a Magisterio Ecclesiae proponitur, observent, caventes vero ne in quaestionibus opinabilibus auctoritatem Ecclesiae pro sua sententia sibi exclusive vindicent.

Can. 526

Ratione ipsius baptismi habiles sunt laici qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur.

Can. 527

§ 1. Laici, ut secundum doctrinam a Christo revelatam et universae Ecclesiae Magisterio necnon a propriae Ecclesiae particularis pastoribus declaratam vivere valeant, eandem et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere possint utque in apostolatu exercendo partem suam habere queant, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae quidem uniuscuiusque capacitati et conditioni aptatam.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis iure statutis, plenior illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipiant.

Can. 528

§ 1. Laici, debita scientia, prudentia et honestate praestantes, habiles sunt qui tanquam periti aut consilarii ab Ecclesiae pastoribus audiantur.

§ 2. Habiles etiam sunt qui ad normam iuris idonei reperiantur, ut ad illa officia ecclesiastica et munera a sacris pastoribus assumantur, quibus secundum iuris universalis aut particularis praescripta fungi valent.

Can. 529

§ 1. Viri laici, qui aetate dotibusque pollent Episcoporum Conferentiae decreto statutis, ritu liturgico praescripto ad ministeria lectoris et acolythi stabiliter assumi possunt; quae tamen ministeriorum collatio eisdem ius non confert ad sustentationem remunerationemve ab Ecclesia praestandas.

§ 2. Laici, quibus ministeria de quibus in § 1 non sunt collata, et quidem sive viri sive mulieres, ex temporanea deputatione in actionibus liturgicis munus lectoris implere possunt; item omnes laici facultate gaudent ut muneribus commentatoris, cantoribus aliisque ad normam iuris fungantur.

§ 3. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris necnon lectoribus et acolythis, quaedam eorundem officia supplere, videlicet ministerium verbi exercere, precibus liturgicis praeesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta.

Can. 530

Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti qui permanenter aut pro tempore, speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implendum requisitam, utque hoc munus conscie, impense et diligenter adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut suae praevidentiae et praecaventiae sociali et assistentiae sanitariae quam dicunt debite prospiciatur, salvo praescripto can. 529, § 1.

CAPUT II
NORMAE SPECIALES
DE CHRISTIFIDELIUM LAICORUM CONSOCIATIONIBUS

Can. 531

Christifideles laici, quippe qui baptismo missionis Populi Dei participes effecti et ipsi ad apostolatum ab ipso Domino deputentur, magni faciant consociationes ad spirituales fines de quibus in can. 39 constitutas, eas in specie quae rerum temporalium ordinem spiritu christiano animare intendunt quaeque ita intimiorem inter fidem suam et vitam proprii status unionem magnopere foveant.


Can. 532

§ 1. Curent laici ut inceptis quae in consociationibus suscipiunt, quantum possibile sit, clericis in variis ministerii pastoralis muneribus explendis adiutorio sint.

§ 2. Qui praesunt consociationibus christifidelium, etiam iis quae vi privilegii apostolici erectae sunt, curent etiam ut consociationes quas constituunt aut participant cum aliis christifidelium consociationibus, quibuscum expediat, cooperentur utque variis operibus christianis, praesertim in eodem territorio existentibus, libenter auxilio sint.

Can. 533

Qui praesunt consociationibus laicorum curent ut membra consociationis ad apostolatum laicis proprium exercendum debite efformentur.



INDEX

<i>Praenotanda</i>	3
------------------------------	---

PARS PRIMA

DE PERSONIS IN GENERE

Titulus I - DE CHRISTIFIDELIBUS	23
Canon generalis	23
Caput I - De personarum physicarum statu canonico	23
Caput II - De omnium christifidelium obligationibus et iuribus	27
Caput III - De christifidelium consociationibus	32
Titulus II - DE PERSONIS IURIDICIS	42

PARS SECUNDA

DE PERSONIS IN SPECIE

Canon generalis	46
Sectio I - DE MINISTRIS SACRIS SEU DE CLERICIS	46
Caput I - De clericorum institutione	46
Caput II - De clericorum adscriptione seu incardinatione	59
Caput III - De clericorum obligationibus et iuribus	62
Caput IV - De amissione status clericalis	68
Sectio II - DE ECCLESIAE CONSTITUTIONE HIERARCHICA	70
Titulus I - DE SUPREMA ECCLESIAE UNIVERSAE AUCTORITATE EIUSQUE EXERCITIO	70
Caput I - De Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum (Canon in quo refertur ad L.E.F.)	70
Caput II - De Synodo Episcoporum	71
Caput III - De S.R.E. Cardinalibus	73

Caput IV - De Curia Romana	78
(Canon generalis)	
Caput V - De Romani Pontificis Legatis	78
Titulus II - DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS DEQUE EARUNDEM COETIBUS . .	82
Canon generalis	82
Caput I - De provinciis ecclesiasticis et de regionibus ecclesiasticis . .	82
Canones praeliminares	82
Art. I - De Conciliis particularibus	84
Art. II - De Episcoporum Conferentiis	88
Art. III - De Metropolitibus et Primatibus	91
Caput II - De Ecclesiis particularibus et de auctoritate in iisdem con-	
stituta	93
Art. I - De Ecclesiis particularibus	93
Art. II - De Episcopis	96
§ 1. De Episcopis in genere	96
§ 2. De Episcopis dioecesanis	100
§ 3. De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus . . .	109
Art. III - De Synodo dioecesana	112
Art. IV - De Curia dioecesana	115
Canones generales	115
§ 1. De Vicariis generalibus et episcopalibus	117
§ 2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali	119
§ 3. De examinadoribus dioecesanis	122
§ 4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo .	123
Art. V - De Consilio presbyterali et de Collegio consultorum . .	124
Art. VI - De canonicorum Capitulis	126
Art. VII - De Consilio pastorali	129
Art. VIII - De sede impedita et de sede vacante	130
§ 1. De sede impedita	130
§ 2. De sede vacante	131
Art. IX - De paroeciis et de parochis	134
Art. X - De vicariis paroecialibus	145

Art. XI - De vicariis foraneis seu decanis	147
Art. XII - De ecclesiarum rectoribus	150
Sectio III - DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE PER PROFES- SIONEM CONSILIORUM EVANGELICORUM	152
Sectio IV - DE CHRISTIFIDELIBUS LAICIS	152
Caput I - De obligationibus et iuribus christifidelium laicorum . . .	152
Caput II - Normae speciales de christifidelium laicorum consociationibus	155

